ERUDITIONIS INGENVÆ SPECIMINA,

scil.

ARTIUM.

LOGICÆ DIALECTICÆ & RHETORICÆ,

Necnon

MORALIS PHILOSOPHIÆ

M. T. CICERONIS

Definitionibus, Præceptis & Sententiis illustratæ.

per Rich. Zouchdum.

OXONIÆ,

Excudebat HEN. HALL, Academiæ Typographus, Impensis TH: ROBINSON.

M. DC. LVII.

Lectori Benevolo.

EOrum quiad Academiam Eruditionis ingenuæ causâ accedunt, Alii breviores progressus faciendi propositum habent, Aliis in Disciplinarum inferiorum studiis Biennium tantùm impendendum exigitur. In horum usum hæc Eruditionis Specimina compendiosa & facilia exhibentur, non sine spe aliqua etiam Provectioribus, qui juniores instituendi munere funguntur, nec inutilia nec ingrata videri posse, Utcunque ea in lucem edendi Author Eruditionis, & Judicii perspecti, eorum Authori non defuit, qui censuit digna esse, quæ cum ipso non interirent,

Dat: ex Musæo
Wicchamico-Albano
Septembris 10. 1656.

Lectori Benevolo.

EOrum quiad Academiam Eruditionis ingenuæ causâ accedunt, Alii breviores progressus faciendi propositum habent, Aliis in Disciplinarum inferiorum studiis Biennium tantùm impendendum exigitur. In horum usum hæc Eruditionis Specimina compendiosa & facilia exhibentur, non sine spe aliqua etiam Provectioribus, qui juniores instituendi munere funguntur, nec inutilia nec ingrata videri posse, Utcunque ea in lucem edendi Author Eruditionis, & Judicii perspecti, eorum Authori non defuit, qui censuit digna esse, quæ cum ipso non interirent,

Dat: ex Musæo
Wicchamico-Albano
Septembris 10. 1656.



De Eruditione Ingenua & disciplinis.

ERuditio Ingenua est cognitio, quâ homines (qui Animâ rationali imbuti, cæteris animantibus præstant) à disciplinis instituti, alii alios excellunt, in quantum per eas Ratione, Sermone, Intellectu, & voluntate quæ sunt facultates animæ rationalis, perfectiores existunt.

Disciplina generalis, quâ ratio humana instruitur, & perficitur, est Logica; Particulares, quibus sermo informatur, sunt Artes, Grámatica, Dialectica, Rhetorica; Quibus Intellectus instituitur, sunt Scientiæ, Metaphysica, Physica, & Mathematica. Quibus voluntas ordinatur, sunt Prudentiæ, Ethica, Oeconomica & Politica.

SPECIMINIS LOGICÆ.

CAP.

I. DE *Logica, & Notionibus.*
II. *De Prædicamentis.*
III. *De Prædicabilibus.*
IV. *De Causis.*
V. *De Adjunctis.*
VI. *De Definitione.*
VII. *De Divisione.*
VIII. *De Comparatione.*
IX. *De Oppositione.*
X. *De Methodo.*

CAP. I.

De Logica & de Notionibus.

LOgica est disciplina, quæ ad instruendam Rationem, ex generalibus rerum notionibus, speciales quasdam confeit, quibus aliæ disciplinæ instituuntur.

Notiones sunt voces, quibus res, & rerum conditiones innotescunt; súntque vel primæ, vel secundæ intentionis.

Voces

Voces primæ intentionis sunt, quæ res aliquas immediate significant; ut Animal, Homo. Voces secundæ intentionis, seu voces Artis sunt, quibus Modi, & Conditiones quædã rerum intelliguntur; ut Genus, Species, &c.

Utræque sunt vel Univocæ, vel distinctæ, quæ res certas significant, ut, Equus, Leo. Vel Æquivocæ, quæ res diversas denotant, ut, Canis Quadrupedem, Piscem, & Sydus coeleste.

Utræque etiam sunt vel simplices, sive Unicæ, & singulæ, vel Complexæ & conjunctæ. Notiones circa quas Logica versatur sunt secundæ intentionis; utpote generales. 1. Prædicamenta. 2. Prædicabilia. 3. Causæ & 4. Adjunctæ: nec non speciales, quibus Disciplinæ instituuntur; quales sunt. 1. Definitio. 2. Divisio. 3. Comparatio. 4. Oppositio. 5. Dispositio, sive Methodus.

CAP. II.

De Prædicamentis.

PRædicamenta sunt Classes, in quibus res universæ, quæ in disciplinis accuratius tractantur, seriatim, & gradatim disponuntur; & vulgò numerantur Decem, nimirum, Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, Habitus, quorum Exempla his versibus exprimuntur.

Arbor, sex, fervore, patres refrigerat, ustos,
Ruri, eras, stabo, nec tunicatus ero.

1. Substantia est Ens per se subsistens, sive quod subjicitur accidentibus.

Substantiæ in serie gradatim subjiciuntur. 1. Qua est Incorporea, Spiritus, Qua Corporea, Corpus naturale. 2. Corpori Naturali, qua Simplex, Cœlum & elementa; qua mixtum, Res Inanimatæ, ut Lapides, & Res Animatæ, ut Plantæ & Animalia. 3. Animali, qua irrationale, Brutum, ut Bos, Aquila; qua Rationale, Homo, ut Socrates, Plato, &c.

Schema Prædicamenti Substantiæ.

Substantia est
vel

Incorporea, *Corporea,*
ut Spiritus. *ut Corpus Naturale;*
Quod vel

Simplex, *Mixtum,*
ut Cœlum *vel*
& Elementa.

Inanimatum, *Animatum,*
ut Lapis. *Quod vel*

Vegetativum, *Sensitivum,*
ut Planta. *ut Animal,*
Quod vel

Irrationale, *Rationale,*
ut Brutum, *ut Homo,*
sub Quo *sub Quo*

Bos, Aquila. *Socrates, Plato.*

2 Quan-

2. Quantitas est accidens, à quo aliquid quantum, aut quotum dicitur.

Quantitati in serie subjiciuntur 1. Qua est continua, Magnitudo; qua est Discreta, Numerus, seu multitudo. 2. Magnitudini, qua est incompleta, Linea, seu Longitudo, & Superficies, sive Latitudo; Qua est completa, Trina dimentio, sive Longitudo, Latitudo, & Profunditas, quæ constituunt Corpus Mathematicum.

3. Qualitas est accidens, à quo subjectum quale denominatur.

Qualitati subjiciuntur. 1. Potentia Naturalis. 2. Habitus. 3. Qualitas patibilis. 4. Forma & Figura.

Potentiæ naturali, quâ est Manifesta, subjiciuntur vires rerum notæ; ut vis nutriendi, & generandi in plantis, sentiendi & loco se movendi in animalibus Brutis, intelligendi, loquendi &c. in Hominibus; Quâ est Occulta, ea à quibus profluunt Sympathiæ & Antipathiæ.

Habitui subjiciuntur in Hominibus respectu Intellectûs, Intelligentia, Ars, Prudentia, Scientia, Sapientia; respectu voluntatis, Virtutes Morales, quales sunt, Justitia, Temperãtia, Fortitudo, necnon Vitia iisdem contraria.

Qualitati Patibili subjiciuntur quæ sensibus objiciuntur, ut Color, Sonus, Sapor, Odor, & qualitates tactiles.

Formæ in rebus physicis subjiciuntur, Pulchritudo, Deformitas; Figuræ, in rebus Mathematicis, Triangulum, Quadratum, Circulus &c.

4. Relatio est qua quid ad aliud quovis modò refertur, unde Relatum, & Correlatum dicuntur. Relationi subjiciuntur, quâ est naturalis, quæ sub Nominibus cognationis continentur, utpote Maritus & Uxor, Pater & Filius, Fratres & Sorores. Quâ ab instituto, sub Nominibus officii cujuscunque exprimuntur, Ut Rex & Subditus, Patronus & Cliens, Tutor & Pupillus, Dominus & Servus.

5. Actio est, ex qua quid dicitur agere, éstque vel immanens, cujus effectum est in agente; ut, Intelligere, velle. &c. vel transiens, cujus effectum est in alios; ut Urere, Verberare.

6. Passio, est ex quâ quid dicitur pati, vel recipere effectum agentis; unde Actio & Passio non differunt nisi respectu ad diversa, ad id quod agit scilicet, & ad id quod patitur, ut est eadem via, quæ Athenis Thebas, & quæ Thebis Athenas ducit.

7. Ubi est circumstantia, quâ res alicubi esse dicuntur. Ut Domi, Foris, Rure, Urbe.

8. Quando est, quâ res fuisse, esse, aut fore dicuntur, ut Heri, Hodie, Cras.

9. Situs est, quâ partium ordo inter se habetur, ut Sedere, Stare, Cubare.

10. Habitus est, quâ vestis, aut tale aliquid corpori applicatur, ut Togatum, Galeatum, Palliatum esse.

CAP.

CAP. III. *De Prædicabilibus.*

PRædicabilia sunt notiones, quibus rerum communium attributa distinguuntur, sunt-que Quinque. Genus, Species, Differentia, Accidens commune, & Accidens Proprium.

1. Genus est, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, in quæstione, quâ quæritur, Quid sit res? Ut Animal de Homine & Bruto; éstque vel summum, seu Generalissimum, ut Substantia in Prædicamento Substantiæ; vel subalternum sive, intermedium, ut Corpus.

2. Species est, quod prædicatur de pluribus Individuis, sive numero tantum differentibus in Quid, ut Homo de Socrate & Platone, &c. Estque vel infima, quæ nullam aliam speciem sub se habet, vel subalterna, sive intermedia, quæ respectu superioris est species, respectu inferioris genus. Ut Animal in Prædicamento Substantiæ.

3. Differentia est quod prædicatur de pluribus specie, vel numero differentibus in Quale Quid; in Quale, quia per modum accidentis, in Quid, quia est de Substantia; ut, Rationale de Homine, cujusmodi Differentia, & Genus dividit, & speciem constituit.

4. Accidens commune est, quod prædicatur de pluribus in Quale; sed contingenter; ut albus de Homine, & Equo; éstque vel separabile, quod actu potest seperari à subjecto, ut

ut frigus ab aquâ; vel inſeparabile, quod intellectu ſolum à ſubjecto ſeparari poteſt, ut Candor à Cygno.

5. Accidens Proprium eſt, quod prædicatur in Quale, ſed neceſſariò, ut Riſibile de Homine, Cujus ſunt quatuor gradus. Nam Proprium habetur primò, Quod convenit omni, ſed non ſoli, ut Homini eſſe bipedem. Secundò, quod convenit ſoli, ſed non omni, ut Homini eſſe doctum. Tertio, quod convenit omni, ſoli, ſed non ſemper, ut Homini ridere; & Quarto modo quod convenit omni, ſoli, & ſemper, ut Homini eſſe riſibilem.

CAP. IV.

De Cauſis.

CAuſæ ſunt Notiones quibus ea, quæ ad rerum conſtitutionem concurrunt, deſignantur, ſúntque quatuor, Efficiens, Materia, Forma, & Finis.

1. Efficiens eſt, cujus vi effectus producitur, éſtque vel Principalis, quæ præcipuam agendi vim habet, vel minus Principalis, ut Procatartica quæ extrinſecus, & Proegumena, quæ intus excitat efficientem Principalem ad agendum, & Inſtrumentalis, quæ Cauſæ Principali in producendo rem ad effectum inſervit; E. G. Architectus eſt Cauſa Efficiens Principalis ædificii, Merces promiſſa eſt Cauſa Procatartica, Lucri cupiditas eſt Proegumena, Serra, Securis & ſimilia ſunt Inſtrumentales.

2 Mate-

2. Materia est. Ex quâ res fit, & Circa quam Operatio versatur. Materia ex quâ res fit, est vel Essentialis, quâ constat Corpus naturale, vel remota, ut elementa; vel propinqua, ut Corpus Humanum, respectu hominis; vel Integralis, quâ constat totum integrale, ut Lapis, Truncus, quod habet partes similares, quæ sunt ejusdem nominis, ut singulæ guttæ Aquæ, respectu ejus quæ est in dolio, vel dissimilares quarum nomen est diversum, ut Caro, Cutis Ossa, respectu Cadaveris. Materia circa quam Operatio versatur est Artificialis, in quâ vel de quâ agitur, Ut Artis Fabrilis materia subjecta sunt Ferrum, Lignum, Lapis. & Artium ingenuarum sunt Notiones, sive Voces secundæ intentionis.

3. Forma est Causa per quam res est, id quod est, vel quod cum Materiâ constituit Cōpositum; éstque vel Naturalis, quomodo Anima est forma viventis, vel Artificialis, quomodo Figura, est forma statuæ.

4. Finis est, cujus gratiâ res fit, éstque vel intermedius qui ad ulteriorem finem tendit, ut cum quis terram fodit, ut ferrum eruat; vel Ultimus ad quem alii fines referuntur, ut cum ferrum eruitur, ut ex eo instrumentum fiat, quod nostris usibus inserviat.

CAP. V.

De Adjunctis.

ADjuncta sunt notiones, quibus aliqua, extra res ad ipsas pertinentia denotantur, veluti;

1 Objc-

1. Objectum. 2. Signum. 3. Circumstantiæ.

1. Objectum est, ad quod res ordinatur, ut Color est objectum visus; Bonum est objectum voluntatis.

2. Signum est certum, vel probabile rei alicujus indicium, éstque vel præcedens, vel concomitans, vel subsequens.

1. Signum præcedens est, quod rem tempore antecedit, ut Aurora ortum solis, Nubium coactio, pluviam. 2 Concomitans est, quod simul cum re conjungitur, ut Inæqualitas pulsus cum febre, Pallor vultus cum iracundia. 3. Subsequens est quod rem sequitur, ut Mors Vulnus Lethale, Sanitas Medicinam.

3. Circumstantia est quod circa rem est eique adjacet, aut appositum est; ut Locus, Tempus, respectu eorum, quæ loco aut tempore fiunt.

Atque hæc de rerum notionibus ex quibus fiunt termini Instrumentales Logicæ.

CAP. VI. *De Definitione.*

DEfinitio est ejus, de quo quæritur, quid sit, Explicatio. Estque vel Nominis, vel Rei. Definitio nominis est, quæ explicat quid nomen significat, vel à derivatione nominis, ut Triangulum est quod habet tres angulos, vel à voce conjunctâ, ut qualitas est, quâ quales aliqui dicuntur. Definitio Rei est, quæ explicat, quid res sit, vel perfectè per attributa essentialia, ut cum substantia definitur per genus

nus, & differentiam essentialem, quomodo Homo definitur, Animal Rationale: & accidentia definiuntur per Genus & Differentiam, quæ sumitur ex subjecto, Objecto, Causa efficienti, & finali, vel aliquibus eorum, ut Visus definitur sensus oculi circa colorem, & lucem, ortus ex receptione utriusque, per suas species, ad animalis perfectionem. Liberalitas est virtus servans mediocritatem in danda & recipiendâ pecuniâ; Vel minus perfectè, Res definitur Descriptione, quæ constat genere, & attributis minus essentialibus, ut Homo est animal risibile, erecto corpore incedens.

Axiomata.

1. Definitio debet procedere à notioribus ad minus nota.

2. Definitio debet esse brevis, sed perspicua.

3. Definitio debet esse adæquata definito, & cum eo reciprocare.

CAP. VII. *De Divisione.*

DIvisio est magis communis in minus communia distributio vel, per se; cum quid dividitur in partes quæ per se ipsi insunt, nimirùm primò, cum Genus dividitur in species, ut animal in Hominem, & Brutum. 2. Cum Compositum dividitur in Materiam & Formam; ut Homo in Corpus & Animam.

3. Cum

3. Cum fit partitio Totius integri in partes integrantes; ut cum corpus Humanum dispertitur in Caput, Collum, Pectus, Ventrem & Membra; &c. Vel distributio fit per Accidens. Ut, 1. Subjecti per Accidentia, veluti Homines alii docti sunt, alii indocti, &c. 2. Accidentis per subjecta, ut morbus alius est Capitis, alius Pectoris, alius membrorum. 3. Causæ per effecta; ut Plantæ, aliæ calefaciunt, aliæ frigefaciunt. 4. Effecti per Causam; ut statuæ aliæ sunt ex ære, aliæ ex marmore.

Axiomata.

1. Membra dividentia debent esse diviso adæquata.

2. Membra dividentia debent esse disjuncta.

3. Divisio constare debet membris quam fieri potest pauciſſimis.

CAP. VIII.

De Comparatione.

COmparatio est rei alicujus ad aliam collatio, ex quarum convenientia vel discrepantiâ colligitur. 1. Identitas vel Diversitas. 2. Æqualitas vel Inæqualitas. 3. Similitudo vel Dissimilitudo.

1. Identitas est eorum, quæ conveniunt, Diversitas eorum, quæ discrepant in Substantiâ; utpote quod est idem, vel diversum numero

mero, specie, vel genere. Idem numero est Socrates senex, & Socrates puer. Idem species sunt Plato, & Aristoteles; Diversa specie sunt Pyrus & Pinus; Diversa genere sunt Magnitudo, & Numerus, Superficies, & Color.

2. Æqualitas & Paritas est eorum, quæ conveniunt quantitate continuâ, vel discretâ, ut Lapis, et Lignum ejusdem Longitudinis, Oves et Capræ ejusdem Numeri. Inæqualitas, et Imparitas est eorum; quæ quantitate differunt, ut lapis maior, et minor, Oves plures et pauciores.

3 Similitudo est eorum, quæ conveniunt in qualitate, ut Æthiops, et Corvus; Dissimilitudo eorum quæ qualitate differunt, ut Corvi et Cygni: est utraque inter duos, vel inter quatuor. Inter duos, ut subtile ingenium igni simile est; Inter quatuor, est proportio aliqua, quæ dicitur esse, vel non esse, ut sicut se habet gubernator ad navem in tempestate, ita Magistratus ad rempub: in bello: Sicut ex quovis ligno non fit Mercurius, ita ex quolibet milite non fit Themistocles.

Axiomata.

1. Comparatio non est instituenda inter res nimium dissitas.
2. Magis et Minus non variant speciem.
3. Paribus paria conveniunt.
4. Nullum simile est idem.

CAP.

CAP. IX.

De Oppoſitione.

OPpoſitio eſt duorum extremorum, vel eorum, quæ neque de ſe, neque de eodem tertio dici poſſunt, à ſe invicem ſeparatio; éſtque vel Privativa, vel Contraria, vel Repugnans, vel Contradictoria.

Oppoſitio Privativa eſt inter habitum, & ejus habitus Privationem, ut inter viſum & cœcitatem, inter lucem & tenebras; éſtque Privatio, vel totalis, potentiæ ſcilicet, à quâ non datur regreſſus, ut vitæ, & mortis, vel partialis, ſive ſecundum quid, aut quoad actum tantùm, ut inter vigilantiam, & ſomnum, à quâ datur regreſſus.

2. Oppoſitio contraria eſt, inter duas qualitates ab eodem Subjecto ſe mutuò expellentes, ut inter calorem, & frigus, & inter Albedinem, & nigredinem, quarum aliæ admittunt medium participationis; ſcil: ut Calor, & frigus, admittunt teporem; aliæ non admittunt, ut Virtus, & Vitium, cum Virtus conſiſtat in medio abnegationis extremorum; ut Liberalitas inter Avaritiam, & Prodigalitatem.

3. Oppoſitio repugnans eſt inter duorum contrariorum proprietates, vel inter unum contrarium & proprietatem alterius, ut mala fama quæ eſt à vitio, repugnat bonæ famæ quæ eſt à virtute, & non poſſe eam ſimulare repugnat Prudentiæ.

4. Oppoſitio contradictoria eſt inter Ens, & non ens, ut inter Corpus & non Corpus; éſtque

éstque vel expressa, cum de uno extremo alterum negatur, ut Homo & non Homo, vel implicita, sive contradictio in Adjecto, ut cum alterum extremum ab altero evertitur, ut cum dicitur Atramentum Rubrum, vel Ignis frigidus.

Axiomata.

1. Oppositio intelligenda est ad idem, secundum idem, eodem modo, atque eodem tempore.
2. Oppositio est eorum, quæ sunt simul natura.
3. Oppositorum eadem est scientia.
4. Opposita juxta se posita magis elucescunt.

CAP. X.

De Methodo.

METhodus est partium disciplinæ, à medio ad finem dispositio, éstque vel Synthetica, vel Analytica; Methodus Synthetica, sive Compositiva est quâ disciplinæ partes ita disponuntur, ut à subjecti principiis, sive Causis, ad ea quæ ex istis principiis profluunt, procedatur, hócque primùm in genere, deinde in specie, donec ad Species infimas deventum est.

Methodus Analytica, sive resolutiva est in quâ à fine, subiecto proposito, proceditur ad media, sive Causas per quas finis in subiectum introducitur. Methodo Synthetică traduntur Disciplinæ speculativæ, sive scientiæ; Methodo

thodo Analyticâ traduntur Prudentiæ sive disciplinæ Practicæ, & Artes Ingenuæ sive Operativæ.

Axiomata.

1. Methodus procedit à Prioribus & Notioribus ad posteriora, & minus nota.

2. Partes omnes Methodi sint homogeneæ.

3. In Methodo ne qua pars desit neque superfit.

De Grammatica.

Grammatica est ars conficiendi sententiam, ut quod quis intendit intelligatur, ejusque partes sunt Etymologia, & Syntaxis.

Etymologia est, quæ tractat de vocibus singulis, quæ sunt materia sententiæ, quarum aliæ variationem admittunt, ut Nomen, Verbum & Participium, aliæ eodem modo sine variatione ubique usurpantur, ut Adverbium, Conjunctio, Præpositio, Interjectio.

Syntaxis est vocum singularum conjunctio, ex quâ sententia formatur, & constat. 1. Concordantiis, Substantivi & Adjectivi, Nominativi Casûs & Verbi, Antecedentis & Relativi. 2. Regimine singularum Vocum, prout concurrunt ad constructionem inter se.

Sententia est plurium vocum complexio, quibus aliquid perfecte exprimitur, et periodo continetur.

Speci-

SPECIMINIS DIALECTICÆ.

CAP.

I. *De Dialectica, & de Propositione.*
II. *De Collatione Propositionum, & de Conversione.*
III. *De Oppositione Propositionum.*
IV. *De Æquipollentiâ Propositionum.*
V. *De Argumento, & de Syllogismo Categorico.*
VI. *De Syllogismo Hypothetico.*
VII. *De Argumentis imperfectis, Enthymemate, Inductione, Dilemmate, & Sorite.*
VIII. *De Reductione Argumentorum.*
IX. *De Argumento quoad materiam, & de Argumento certo.*
X. *De Argumento fallaci.*

CAP. I. *De Dialecticâ & Propositione.*

DIalectica est ars conficiendi argumentum, quo id quod quis intendit, probari possit, &

& tractat. Primò de ſententiis, ſive de propoſitionibus, quæ ſunt materia Argumenti; deinde de connexione Sententiarum, ſive Propoſitionum, ex quâ Argumento forma inducitur.

Propoſitio eſt ſententia Indicativa veri, vel falſi, & conſideratur primò per ſe, deinde ut cum aliâ confertur.

Propoſitio ut conſideratur per ſe conſtat materiâ, Ex quâ, & Circa quam. Materia, ex quâ conſtat Propoſitio, ſunt Subiectum, Copula et Prædicatum; ut in hâc; Homo eſt Animal, Homo, vox quæ præcedit copulam eſt ſubjectum; Eſt, quæ inter Subiectum & Prædicatum intercedit, eſt Copula; Animal, quæ ſequitur Copulam, eſt Prædicatum. Materia, circa quam verſatur Propoſitio, eſt, vel Neceſſaria quæ non poteſt aliter ſe habere; quando ſcil. Prædicatum convenit ſubiecto ex natura ſubiecti, ut cum Homo dicitur Rationalis: vel contingens, quando poteſt eſſe, vel non eſſe. Ut cum Prædicatum ex naturâ, nec convenit nec repugnat ſubiecto, ut cùm Homo dicitur doctus.

Propoſitio dividitur ſecundum Subſtantiam, Quantitatem, & Qualitatem: ſecundum Subſtantiam eſt vel Categorica, vel Hypothetica; Propoſitio Categorica, vel ſimplex eſt, quæ conſtat unico ſubiecto, copulâ, & prædicato ut Animal eſt corpus. Hypothetica, vel compoſita eſt, quæ conſtat duabus Categoricis coniunctione cõnexis, vel conditionalibus,

ut

ut si Homo est Animal, est Corpus; vel disjunctivâ, ut Animal est Rationale vel irrationale.

Propositio secundum Quantitatem dividitur in Universalem, vel Particularem; Universalis est, cũ Nota universalis subiecto communi præponitur, ut omnis homo vivit; Particularis, cum subiecto communi Nota particularis, ut Aliquis, Quidam, adjicitur, ut Aliquis Homo non est Musicus. Cùm nulla nota subiecto communi præponitur, Propositio est Indefinita, et in Materiâ necessariâ habetur loco Universalis, ut Homo vivit, idem est atque omnis Homo vivit; in Materiâ contingenti loco Particularis, ut Homo est Doctus, idem est atque Aliquis homo est doctus. Cùm Subiectum est nomen proprium, vel quid Individuum, Particularis rationem habet, ut Socrates est Philosophus, hic Homo est Orator, idem valent atque Aliquis Homo est Philosophus, vel aliquis Homo est Orator.

Propositio est secundum Qualitatem, vel Affirmativa, vel Negativa. Affirmativa est, in quâ Prædicatum de Subiecto affirmatur, ut Homo est Prudens; Negativa, in quâ prædicatum de subiecto negatur, ut Homo non est Quadrupes.

De divisione propositionis est hic versiculus.

Quæ? Ca. vel Hyp. Qualis. Ne. vel Aff.
Quanta? Uni, Par, In, Sin.

Propo-

Propoſitionum Quantitas & Qualitas literis A. E. I. O. denotantur, prout etiam his verſibus oſtenditur.

Aſſerit A. negat E. ſed Univerſaliter ambæ.
Aſſerit I. negat O. ſed Particulariter ambæ.

CAP. II.

De Collatione Propoſitionum & Converſione.

PRopoſitionum, prout una confertur cum alia, conſideratio habetur, in earum Converſione, Oppoſitione, & Æquipollentiâ. Converſio eſt Subjecti & Prædicati in propoſitione apta commutatio; Eſtque vel ſimplex vel per Accidens, vel per Contrapoſitionem. Converſio ſimplex eſt tranſpoſitio Subjecti in locum prædicati, & prædicati in locum ſubjecti, quomodo convertuntur Univerſalis Negativa, ut Nullus Homo eſt lapis, & Particularis affirmativa, ut Quidam Homo eſt Animal.

Converſio per Accidens eſt tranſpoſitio Subiecti in locum prædicati, & è contra, manente qualitate, ſed mutatâ quantitate, quomodo convertuntur Univerſalis Affirmativa, ut Omnis homo eſt Animal, & Univerſalis Negativa, ut Nullus Homo eſt Equus.

Converſio per contrapoſitionem, eſt mutatio ſubjecti in locum prædicati, & è contra, mutatis terminis finitis in infinitos: Quomodo convertuntur Univerſalis Affirmativa, ut

Omnis homo est vivens, ergo omne non vivens est non homo, & Particularis negativa, ut Quidam Equus non est albus; ergo Quoddam non album est non Equus; quæ his versibus innuuntur.

Simpliciter fEcI convertitur EvA per Acci,

cAtO per contra, sic fit conversio tota.

CAP. III.

De Oppositione Propositionum.

OPpositio est duarum Propositionum, quarum est idem subiectum & prædicatum, in quantitate, Qualitate, vel utraque simul discrepantia, estque 1. Contraria. 2. Subcontraria. 3. Contradictoria. 4. Subalterna.

1. Contrariæ sunt duæ Universales, quarum una est Affirmativa, altera Negativa, quæ in nullâ materiâ possunt esse simul veræ, in Contingenti possunt esse simul falsæ.

2. Subcontrariæ sunt duæ particulares, quarum una est affirmativa, altera negativa, quæ in nullâ materiâ possunt esse simul falsæ, in materiâ contingenti possunt esse simul veræ.

3. Contradictoriæ sunt, cùm altera est Universalis affirmans, altera particularis negans, vel è contra, una universalis negans, altera est particularis affirmans, quæ in nullâ materiâ possunt esse simul veræ vel falsæ.

4. Subalternæ sunt Universalis, & Particularis ambæ affirmantes, vel negantes, quarum

si universalis sit vera particularis erit vera, si particularis sit falsa, universalis erit falsa, da his sunt versiculi.

A. E. sunt contra, subcontra dicimus I. O.
A. I. atq; E. O. sunt in stratione subalterna:

Schema seu delineatio Oppositorum.



CAP. IV.

De Æquipollentiâ Propositionum.

ÆQuipollentia est cùm Propositiones oppositæ, interpositione negationis Notæ, non ad eundem sensum redigunrur.

1. Propositiones contrariæ, ut Omnis homo ambulat, Nullus homo ambulat, fiunt Æqui-

Æquipollentes, ſi notæ univerſali & ſubjecto, negatio propoſita fuerit; ut in Priori, Omnis homo ambulat, in Poſteriori, Nullus homo non ambulat.

2. Propoſitiones contradictoriæ, ut Omnis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus, ſi notæ univerſali vel particulari cum ſubjecto, negatio præponatur, ut in Priori: Non omnis homo eſt albus, in Poſteriori, Non aliquis homo non eſt albus.

3. Propoſitiones ſubalternæ, ut Omnis homo eſt Animal, Aliquis homo eſt Animal, ſi notæ unius & proponatur, & poſtponatur Negatio Non, ut Non omnis homo non eſt animal, et non aliquis homo non eſt animal, de quibus eſt hic verſiculus.

Præ. Contradict. poſt. Contra. præ. poſtq; ſubaltern.

CAP. V.

De Argumento & de Syllogiſmo Categorico.

ARgumentum eſt probatio ejus, quod quis intendit ex connexione Propoſitionum, ex quarum aliis alia infertur, & conſideratur, 1. quoad Formam, deinde quoad Materiam: eſtque quoad Formam vel perfectum, quale eſt Syllogiſmus Categoricus & Hypotheticus, vel imperfectum, quale eſt Enthymema, Inductio, Dilemma, & Sorites.

Syllogiſmus Categoricus eſt, qui conſtat ex pro-

propoſitionibus Categoricis; in quo, ex duabus præmiſſis, vi medii termini, tertia infertur. Eius partes ſunt Maior, Minor, & Concluſio. Maior eſt propoſitio prima, ut Omne Animal eſt Corpus, Minor ſecunda, ut Omnis homo eſt Animal; & Concluſio, tertia, ut Ergo omnis homo eſt corpus.

Medius terminus eſt, quo duo extrema, Maius ſcil. & Minus coniunguntur, ita ut maius extremum ſit, quod cum medio termino conſtituit Maiorem, Minus extremum, quod cum medio termino conſtituit minorem propoſitionem. Maius & Minus extremum, omiſſo medio, conſtituit concluſionem.

De Propoſitionibus, ex quibus conficitur Syllogiſmus obſervandum.

1. Quod altera debeat eſſe Univerſalis.

2. Quod altera debeat eſſe affirmativa.

3. Quod Concluſio ſequi debeat deteriorem partem, id eſt, Particularem, & Negativam, ſecundum Verſus.

Syllogiza-i non eſt ex Particulari;
Neve negativis, rectè concludere ſi vis,
Siqua præit partes, ſequitur concluſio partis;
Siqua negata præit, Concluſio ſitq; negata.
Lex generalis erit, Mediũ concludere neſcit.

Syllogiſmus perfectus, Figura & Modo formatur. Figura oritur ex diverſa diſpoſitione medii te mini, ex quâ triplex eſt; Prima, quando medius terminus eſt ſubiectum maioris, & Prædicatum minoris propoſitionis. Secunda in quâ medius terminus eſt prædicatum, cum in

maiori, tum in minori propositione.

Tertia est in quâ medius terminus est subiectum utriusque iuxta versum.

Sub. Præ. prima. Bis præ. secunda. Tertia bis Sub.

Modus est forma Syllogismi in quâlibet figurâ, secundum debitam Quantitatem & Qualitatem, prout his versiculis innuitur.

Barbara, Celarent, Darii, Ferioq; prioris
Cæsare, Camestres, Festino, Baroco secúdæ,
Tertia grande sonans edit Darapti, Felapton.
Adiungens Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Syllogismorum, qui in figura et modo formantur vis et ratio pendet à principiis Mathematicis, quæ sensui subiiciuntur, quorum prima sunt, Quicquid continetur in contento, continetur in continente, et Quicquid non continetur in continente, non continetur in contento. E. g. Domus est in urbe, Socrates est in Domo, ergo Socrates est in Urbe: et Plato non est in urbe, ergo Plato non est in aliquâ domo urbis.

Quibus congruunt Dictum de Omni et Dictum de Nullo. Dictum de omni est, quando quid dicitur de Universali, id etiam dicitur de omnibus quæ sub illo Universali continentur; ut omne animal vivit, ergo Omnis homo vel omne brutum (quæ sub animali continentur) vivit.

Dictum de Nullo est, quando quod de aliquo Universali negatur, id etiam negatur de om-

omnibus, quæ ſub ullo Univerſali continentur; ut Nullum animal eſt lapis, ergo Nullus Homo eſt lapis.

Alia principia Mathematica ſunt; Quæcunque uni tertio ſingulari conveniunt, ea quoque inter ſe conveniunt, & Quorum unum alicui tertio ſingulari non convenit, ea non conveniunt inter ſe; ut ſi duæ trabes ſint æquales eidem menſuræ, recte colligitur, eas trabes inter ſe æquales eſſe; ita ſi conveniat Socrati eſſe Athenienſem, & eſſe Philoſophum, ſequitur, Aliquē Athenienſem eſſe Philoſophum. E contra, quemadmodum ſi duarum trabium altera ſit æqualis alicui menſuræ, altera non ſit, ſequitur eas inter ſe inæquales eſſe, ita ſi conveniat Platoni fuiſſe doctum, & non fuiſſe Muſicum, ſequitur aliquem doctum non fuiſſe Muſicum.

CAP. VI.

De Syllogiſmo Hypothetico.

SYllogiſmus Hypotheticus eſt, qui conſtat propoſitionibus omnibus, aut aliquibus Hypotheticis, éſtque vel conditionalis, vel Diſjunctivus.

Syllogiſmus Conditionalis, eſt qui conſtat majori propoſitione Conditionali; ut ſi Sol luceat dies eſt, ſed hora ſexta ſol lucet, ergo horâ ſextâ dies eſt. Majoris prior pars dicitur Antecedens, poſterior Conſequens.

1. A conceſſione antecedentis ad conceſſionem conſequentis valet argumentum, ut ſi homo eſt, eſt animal.

2. A remotione conſequentis ad remotio-

nem antecedentis valet illatio, ut si homo est, est animal; sed non est animal, ergo non est homo.

Syllogismus Disjunctivus est, qui loco Majoris, propositionem disjunctivam habet; ut aut dies est, aut nox, sed dies est, ergo non est nox, In Syllogismo disjunctivo, à Positione antecedentis, ad remotionem consequentis, & è contra, valet argumentum, ut aut homo est, aut Brutum, sed homo est, ergo non est Brutum, vel Brutum est ergo non est homo.

CAP. VII.

De Argumentis imperfectis, scilicet, *Enthymemate*, *Inductione*, *Dilemmate*, *& Sorite*.

ENthymema est argumentum, in quo Syllogismi alterutra præmissarum, sive propositionum reticetur, ut Homo est animal, ergo est corpus.

1. Si in antecedente idem sit subjectum, quod in consequente deest major, ut in hoc; Temeritas est vitium ergo est fugienda, deest Major, scilicet, Omne vitium est fugiendum.

2. Si in antecedente & consequente idem sit prædicatum, deest Minor, ut in hoc, Omne corpus est substantia, ergo animal est substantia; deest Minor; scilicet, Animal est corpus.

De

De Inductione.

Inductio est Argumentum procedens à singularibus sufficienter enumeratis ad Universale; vel à partibus ad totum. Ut Socrates est Rationalis, Plato est Rationalis, Aristotelis est rationalis, & nullus non, ergo, Omnis homo est Rationalis, &c. Plebs Romana, Equester ordo, Senatores, & cæteri cives idem sentiunt; ergo totus P. R. idem sentit.

De Dilemmate.

Dilemma, est argumentum procedens à remotione partium in Prosyllogismo disjunctivo, ad remotionem totius in duobus Syllogismis Categoricis; ut,

1. Si ducenda sit uxor, aut formosa ducenda est, aut deformis, sed non est ducenda formosa, neque deformis, ergo nulla.
2. Quæ communis erit non est ducenda, sed formosa communis erit. Ergo.
3. Molesta non est ducenda, sed deformis est molesta. Ergo.

De Sorite.

Sorites est argumentum constans multis propositionibus, ita dispositis ut prædicatum præcedentis sit subjectum sequentis, indéque, prædicatum ultimum concludatur de subjecto

primo, ut Homo est animal, Animal est corpus, Corpus est substantia, ergo Homo est substantia.

CAP. VIII.

De Reductione.

Cum quatuor modi primæ figuræ, in quibus omnis generis Conclusiones, Universales scilicet, Affirmantes, & Negantes, nec non particulares affirmantes, & Negantes exhibentur, sint perfectissimi, eo quod actu, & manifesto exprimunt regulam de omni & Nullo; reliqui non nisi obscuri, & impliciti, ita vim habere videntur, quatenus ad illos modos primæ figuræ reduci possunt, qui easdem literas initiales habent. Reductionum modi considerandi sunt: Reductio verò duplex est, Ostensiva scil: & per impossibile. Reductio Ostensiva est, in qua servatur eadem conclusio, idémque medium, sed aliter dispositum, & fit Conversione, & Transpositione Propositionum. Reductio per Impossibile fit cogendo inficiantem ad absurdum. Quomodo modi singuli sint convertendi ostendunt versus.

S. vult simpliciter verti; P. vero per Acci:
M. vult transponi. C. per Impossibile duci.

Propositio, quæ respondet Syllabæ, in quâ S. reperitur, simpliciter est convertenda; in quâ P. per Accidens, in quâ M. ea in locum alterius, Major scil: in Minoris, vel minor in locum Majoris est transponenda.

Modi in quibus litera C. habetur, per Impossibile

possibile convertuntur; sumpta Contradictoria Conclusionis, loco Minoris in Baroco, loco Majoris in Bocardo, unde cum sequitur conclusio manifeste falsa, necesse erit ejus contradictoriam fuisse veram.

Ad eosdem modos primæ figuræ etiam reduci possunt Syllogismi Hypothetici, & argumenta imperfecta.

Syllogismus Conditionalis, ad Categoricum reducitur, si loco majoris Antecedens universaliter proferatur, utpote pro, Si Animal est sentit, Omne Animal sentit. Syllogismus Disjunctivus; Si Conjunctivæ propositiones in Conditionales resolvantur, ut, aut Dies est aut Nox, in hanc, si Dies est non est Nox; & deinde Conditionales in Universales, ut si Dies est non est Nox, in, nullum tempus diurnum est nocturnum.

Enthymema ad perfectum Syllogismum reducitur addēdo propositionem, quæ reticetur; Ut Homo est animal, ergo Socrates est animal, sic, Homo est animal, Socrates est homo. E. Socrates est animal.

Inductio ad Syllogismum reducitur, si loco Majoris ponatur propositio, in quâ prædicatum conclusionis de particularibus, aut singulis omnibus, sive enumeratis, sive intellectis enuncietur, ut Socrates, Plato, Aristoteles & Nullus non sunt rationales, sed Socrates, Plato, &c. sunt omnes homines, ergo Omnes homines sunt rationales.

Dilemma ut Syllogismus disjunctivus reducitur

citur, Sorites in plures Syllogiſmos facile reſolvitur.

CAP. IX.

De Argumento quoad materiam & de Argumento certo.

ARgumentum quoad materiam eſt vel certũ, vel fallax, Argumentum certum eſt, in quo per medium terminum neceſſarium, infertur concluſio certa, Cujuſmodi Medius terminus neceſſarius eſt, vel inter terminos inæquales, & procedit ſolummodo vel affirmative, vel negative, vel inter terminos adæquatos, & convertibiles, & procedit hinc inde cum Affirmative tum Negative.

Prioris generis ſunt, Genus, Species, Totum, Partes, Majus & Minus & alii ſimiles.

1. A Genere ad Speciem valet Argumentum negative. Ut, Non eſt Animal, ergo non eſt homo.

2. A Specie ad genus valet argumentum affirmativè, ut Logica eſt Ars, ergo eſt habitus.

3. A toto Homogeneo, ad partes valet argumentum affirmative, ut Legavit ei alimenta; ergo Legavit victum, & veſtem.

4. A parte integrali ad totum valet argumentum negative, ut non eſt paries, ergo non eſt domus.

5. A Majori ad Minus valet argumentum affirmative, ut, donavit ei centum, ergo donavit ei quinquaginta.

A

A Minori ad majus valet argumentum negative; ut, non potest ambulare, ergo non potest currere.

Posterioris generis termini sunt. 1. Definitio & Definitum. 2. Differentia & Species. 3. Proprium & subjectum. 4. Forma & Compositum. 5. Efficiens & Effectum. 6. Signum & Signatum.

1. A definitione ad definitum & è contra valet argumentum tam affirmative, quam negative, ut est animal rationale, ergo est homo. Non est homo, ergo non est animal rationale.

2. A Differentiâ ad Speciem, & è contra valet argumentum, tam affirmative quam negative; ut Pigmei sunt rationales, ergo sunt homines, Satyri non sunt homines, ergo non sunt rationales.

3. Ab accidente proprio ad subjectum, & è contra valet argumentum tam affirmative quam negative, ut Risibile est ergo est homo, Non est homo, ergo non est risibile.

4. A formâ internâ ad compositum, & è contra valet tam affirmative quam Negative, ut Æthiopes habent animas rationales, ergo Homines sunt, Syrenes non sunt Homines, ergo non habent animas rationales.

5. Ab efficiente necessariaad effectum, & è contra valet tam affirmative quam negative, ut, Grave est, ergo tendit deorsum, & Tendit sursum, ergo est Leve.

6. A Signo necessario ad Signatum, & è contra valet argumentum tam affirmative quã negative,

negative, ut Aurora apparet, ergo ſol oritur. Pulſus non eſt inæqualis, ergo non febricitat. Non coguntur nubes, Ergo non pluet.

CAP. X.
De Argumento Fallaci.

ARgumentum fallax eſt, in quo per medium ſimulatum infertur concluſio falſa, Quod contingit ratione vocis, & ratione rei. Argumentum fallax ratione vocis, eſt, veluti, Homonymiæ, Amphiboliæ, Compoſitionis, Diviſionis. &c.

1. Fallacia Homonymiæ eſt, quæ oritur ex unius vocis ambiguitate, ut Finis rei, eſt ejus perfectio, Mors eſt finis rei, ergo Mors eſt rei perfectio.

2. Fallacia Amphiboliæ eſt, quæ oritur ex ambiguo ſenſu orationis, ut Quod quis videt, id videt, Lapidem quis videt; ergo Lapis videt, Ubi id videt, objectum ſignificat, non ſubjectum viſus.

3. Fallacia Compoſitionis eſt, quæ oritur ex conjunctione eorum, quæ dividenda ſunt, vel à bene diviſis ad male conjuncta; ut Duo, & Tria ſunt par, et impar, Quinque ſunt duo et Tria, ergo Quinque ſunt par et impar, ubi prima propoſitio intelligenda, quod duo ſunt par, tria ſunt impar.

4. Fallacia Diviſionis eſt quæ oritur ex diviſione eorum, quæ conjungenda ſunt, ut, Planetæ ſunt ſeptem, Sol et Luna ſunt Planetæ,

tæ, ergo Sol et Luna sunt septem, ubi in primâ septem dicitur de planetis omnibus simul sumptis, non de aliquibus separatis.

Argumentum fallax ratione rei est, veluti. 1. Fallacia Accidentis. 2. A dicto simpliciter. 3. A Dicto secundum quid. 4. Consequentiæ, vel non Causæ pro Causâ &c.

1. Fallacia Accidentis est, cum quod convenit subjecto per accidens dicitur de prædicato, ut Mus rodit panem, Mus est syllaba; ergo syilaba rodit panem; ubi edere panem convenit prædicato per accidens: Et cum quod convenit prædicato per accidens, dicitur de Subjecto, ut Homo est Species, Socrates est homo. E. Socrates est Species.

2. Fallacia à Dicto simpliciter est, cum quod vere dicitur de aliquo simpliciter, prædicatur de eo secundum quid, ut Homo est mortalis, ergo Anima Hominis est mortalis, ubi mortalis dicitur de homine simpliciter, dicitur de Animâ, quæ est hominis secundum Quid.

3. Fallacia à Dicto secundum quid est, cum ex eo quod secundum quid verum, infertur aliquid simpliciter esse verum, ut, Vinum nocet febricitanti, ergo vinum est noxium.

4. Fallacia consequentiæ est, cum ex aliquâ enuntiatione altera infertur, quæ ex ea non sequitur, ut, Quicquid genitum est habet principium, ergo quod non est genitum, ut Anima humana, non habet principium. Item qui dicit te esse Animal, dicit verum, Quid dicit

cit te esse Asinum, dicit te esse animal, ergo qui dicit te esse Asinum dicit verum; ubi per ambages verborum occulte concluditur ex duabus affirmantibus in secunda figura; ita enim se habet, ac si diceretur, Asinus est animal, Tu es animal, ergo Tu es Asinus.

SPECI-

CAP.

I DE *Rhetoricâ, & de Argumento Practico.*
II. *De Argumento probabili.*
III. *De Argumento Speciosо.*
IV. *De Argumenti Elegantiâ.*
V. *De Argumenti Suavitate.*
VI. *De Argumenti Vigore.*
VII. *De Compositione Orationis, sive de Dispositione Argumentorum.*
VIII. *De Oratione in genere Deliberativo.*
IX. *De Oratione in genere Demonstrativo.*
X. *De Oratione in genere Judiciali.*

CAP. I.

De Rhetoricâ & de Argumento practico.

RHetorica est Ars conficiendi Orationem ad movendum affectum, ut quis id quod intendit impetrare possit, & tractat primò de Argumentis practicis, quæ sunt Materia Orationis; deinde de Dispositione Argumentorum,

rum, ex quâ Orationi forma inducitur; tertiò de præcipuis Orationum generibus, Deliberativo, Demonstrativo, & Judiciali.

Argumentum Practicum est quod circa factum humanum, vel Actionem Civilem versatur, & pertinet vel ad Thesin, vel ad Hypothesin, Thesis est, in quâ aliquid statuitur in genere, ut Pax est expetenda.

Hypothesis est, in quâ aliquid respectu certæ personæ proponitur, ut Annibali cum Scipione pax est expetenda, de quibus cum existit Controversia, Status vel Constitutio Causæ in eo consistit, quod ab alterâ parte affirmatur, ab altera negatur, ut, An Cluentius Oppianicum Vitricum veneno sustulerit, quod Actius affirmat, Cicero negat; Estque vel status Conjecturalis, in quo aliquid factum sit, necne disceptatur, utpote An Sextius vim intulerit? vel Æstimatorius, cum an aliquid honestè, an inhonestè, justè an injustè factum sit contenditur; ut, An qui percussit contumeliam fecerit? An qui ad sui defensionem alium occiderit, morte sit puniendus?

Deinde Argumentum Practicum aliud est Probabile, aliud Speciosum, in quibus etiam Elegantia, Suavitas, & Vigor respiciuntur.

CAP. II.

De Argumento Probabili.

ARgumentum Probabile est, per quod fides ei quod asseritur, astruitur, (non solum ex medio

medio certo, & necessario, prout in Dialectica requiritur) sed ex medio, sive ratione verisimili, utpote 1. ab Etymologiâ. 2. à Conjugatis. 3. à Causis remotis. 4. ab Effectis. 5. ab Adjunctis. 6. à Descriptione. 7. à Comparatione. 8. à Simili. 9. ab Exemplo.

1. Ab Etymologiâ, ut, si Consulis sit Patriæ consulere, Piso, qui Patriam everit, Consul habendus non est; *Cic. in Pisonem.* Qui Populi commoda oppugnant, oratione tamen assequi volunt, ut, populares esse videantur: *pro Lege Agraria.*

2. A Conjugatis, ut si Pietati Laus sit tribuenda, debetis moveri, cum Q. Metellum tam piè lugere videatis. 2. *de Orat.*

3. A Causis remotis, ita *Cicero pro Flacco* testibus fidem abrogat, quod Adolescens ingenii plenus, locupletes metu, tenues præmio, stultos errore permovit; Et ut à se removeat suspicionem, *Pro Lege Manilia*, Testor, inquit, omnes Deos, me hoc neque rogatu facere cujusquam, neque quo Cn. Pompeii gratiam mihi per hanc causam conciliari putem; neque quo mihi ex cujusquam amplitudine, aut præsidia periculis, aut adjumenta honoribus quæram.

4. Ab Effectis, *Pro Roscio Amerino*; Restat Judices, ut hoc dubitemus; uter potius Sext. Roscium occiderit, is ad quem morte ejus divitiæ venerint, an is ad quem mendicitas?

5. Ab Adjunctis, ut Cicero arguit *pro Balbo*;

bo; Balbum rectè civitate Romanâ donatum, quia Pompeius erat authoritate præditus, & is idoneus, & benè de Romanis meritus.

6. A Circumstantiis 1. Temporis, ut *Pro Rosc: Amerino*, Ejusmodi tempus erat, inquit, ut homines vulgò impunè occiderentur; quare Tu, inquit Cicero, propter multitudinem Sicariorum nullo negotio facere potuisti. 2. Loci, ut *pro Flacco*, Græcis testibus non est credendum, quia Testimoniorum religionem, & fidem ista natio nunquam coluit. 3. A Signis antecedentibus, ut *idem de iisdem* Græcus testis, inquit, eâ voluntate procedit, ut lædat, nec juris jurandi, sed lædendi verba meditatur. 4. A Concomitantibus. ita arguit, quod M. Lurco, iratus Flacco testimonium dixit, & id quod dixit, inquit, multo cum pudore, cum tremore, & cum pallore dixit. 5. A subsequentibus; ita *in Catil.* 3. Lentuli improbitatem arguit à consternatione. Quod scelere demens, inquit, quanta vis conscientiæ esset, ostendit, nam quod potuit inficiari, repentè præter omnium opinionem confessus est, ita eum non modo ingenium, quo semper valuit, sed etiam propter vim sceleris manifesti impudentia, quâ superabat omnes, improbitasque defecit. 6. A Descriptione, ita *Cicero pro Rosc. Comœdo*, de Fannio. Fannium Cheræam, inquit, Roscius fraudavit. Oro, atque obtestor vos, qui nostis vitam utriusque, inter se conferte, qui non nostis, faciem utriusque considerate; Nonne ipsum caput, & supercilia illa abrasa,

oler e

olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus, uſque ad verticem ſummum (ſiquam conjecturam affert hominibus tacita corpotis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur? qui idcirco capite, & ſuperciliis ſemper eſt raſus, ne ullum pilum boni viri habere dicatur.

7. A Comparatione, 1. Majoris ad minus, ut *pro Archiâ*, Ridiculum eſt, cum habes ampliſſimi viri religionem integerrimi municipii jusjurandum, & fidem, ea quæ nullo modo depravari poſſunt, repudiare, Tabulas, quas idem dicis ſolere corrumpi, deſiderare. 2. Minoris ad Majus, ut *Oratione pro eodem*, ut Roſcius Corporis motu tantum ſibi amorem à nobis omnibus conciliarat; Nos Archiæ incredibiles animi motus, celeritatemque ingenii negligemus? 3. à Pari ut *in Topicis*, ſi conſilio juvare cives, & auxilio in æqua laude ponendum ſit, pari gloria debent eſſe, & qui conſulunt, & qui defendunt.

8. A Simili, ita *Cicero Phillip.* 1. Ut quidam morbo, & ſenſus ſtupore ſuavitatem cibi non ſentiunt, ſic libidinoſi, avari, facinoroſi, veræ laudis guſtum non habent.

9. Ab Exemplo, ut *pro Milone*, Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui ab ſe hominem occiſum eſſe fateatur. In quâ tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii, fortiſſimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani Comitiis liberatus

eſt,

est, cum sua manu sororem interfectam fateretur.

CAP. III.
De Argumento Speciosi.

ARgumentum Speciosum est, quo plenius sive per modum Amplificationis res proferuntur, à locis priorum generum, sed pluribus, & conjunctis &c. utpote 1. à Definitionibus. 2. ab Enumeratione partium. 3. à Causis. 4. ab Effectibus. 5. à Comparatis. 6. à Contrariis & Repugnantibus. 7. à Similibus. 8. ab Exemplis.

1. A Definitionibus, sive Descriptionibus, ut Cic. *de Orat.* 2. Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, Magistra vitæ, Nuntia veritatis; Et *pro Cluentio*, Partus est spes parentis, memoria nominis, subsidium generis, hæres familiæ, Designatus Reipub. civis.

2. Ab Enumeratione partium, ut *Cicero in Verrem 4. de rapinis Verris*; Nego in Siciliâ totâ ullum argenteum vas, ullum Corynthium, aut Deliacum fuisse, neque ullam gemmam, aut Margaritam, aut quicquam ex auro, aut ebore factum, signum ullum æneum, marmoreum, eburneum, nego ullam picturam, neque in tabulis, neque textile fuisse, quin quæsierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit.

3. A Causis concervatis, ut pro Sextio: Cum

Cum alii me ſuſpicione periculi ſui, non defenderent, alii veteri odio incitarentur, alii invviderent, alii obſtare mihi arbitrarentur, alii ulciſci dolorem ſuum aliquem vellent, alii Rem-ipſam publicam, atque hunc bonorum ſtatum, otiúmque odiſſent, atque ob has cauſas tot, támque varias me unum depoſcerent.

4. Ab Effectibus, & Conſequentiis, ut *in Piſonem*. Tu luctum Senatus, tu deſiderium Equeſtris Ordinis, tu Squalorem Italiæ, tu Curiæ taciturnitatem annuam, tu Silentium perpetuum Judiciorum, ac fori, tu cætera illa in maledicti loco pones, quæ meus diſceſſus Reipub. vulnera inflixit?

5. A Comparatis. Ut *pro Lege Manil.* Majores noſtri mercatoribus, Navicularíis injuriolius tractatis, bella geſſerunt; Vos tot civium Romanorum millibus, uno nuncio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quod eſſent appellati ſuperbiùs, Corynthum, totius Græciæ lumen, Patres veſtri extinctum eſſe voluerunt; Vos inultum eum regem eſſe patiemini, qui Legatum Populi Romani Conſularem, vinculis ac Verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necavi?

6. A Contrariis, ut *in Catil.* 1. Hoc verò quis ferre poſſit, inertes homines fortiſſimis inſidiari, ſtultiſſimos prudentiſſimis, ebrioſos ſobriis, dormientes vigilantibus.

7. A Similibus, ut *Cicero in Verrem* 5. Non Charibdem tam infectam, neque Scyllam

lam nautis, quam istum in eosdem freto, fuisse arbitror.

8. Ab Exemplis. Ut *in Catil.* 1. An vir amplissimus Pub. Scipio Pontifex Maximus, Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipublicæ privatus interfecit? Catilinam verò orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupientem, Nos Consules perferemus? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod Q. Servilius Hala Spurium Melium, novis rebus studentem, manu suâ interfecit. Et *pro Balbo.* Miseremini ejus, qui non de aliquo crimine, sed de periculo suo, de publico Jure disceptat: quod jus si Cn. Pompeius ignoravit, si L. Sylla, si L. Crassus, si C. Marius, si Senatus, si Populus Romanus, si qui de re simili judicârunt, si fœderati Populi, si Socii, si illi antiqui Latini: Videte, ne utilius Vobis & honestius sit, illis ducibus errare, quam hoc magistro erudiri.

CAP. IV.

De Argumenti Elegantia.

ARgumenti Elegantia consistit in Puritate, & Perspicuitate vocum singularum, & cum Tropis illustrantur.

1. Voces puræ sunt, quæ genuinæ sunt, & Latini Sermonis propriæ, quibus adversantur Barbarismus, cum Vox peregrina usurpatur; & Solœcismus, cum Voces non respondent Grammaticæ Regulis.

2. Voces perspicuæ sunt, quæ claræ sunt &

& usitatæ, à quibus obscuræ, & obsoletæ abhorrent.

3. Tropus est, cum vox à proprio sensu ad significationem rei alterius transfertur; qualis est. 1. Metonymia. 2. Synecdoche. 3. Metaphora. 4. Allegoria. 5. Ironia. 6. Hyperbole. 7. Tapinosis.

1. Metonymia est. 1. Cum Causa pro effectu ponitur, ut, cùm quis lectitâsse Platonem vel Aristotelem, pro eorum scriptis dicitur; vel 2. Cùm effectus pro Causa, ut Sacrilegium pro Sacrilego; vel 3. Cùm Continens pro Contento, ut *Pro Murænâ*, Urbs libera, & Urbs amica pro Civibus liberis, & amicis; vel 4. Cùm Signum pro re signatâ ponitur, ut *Pro Domo*, Nullus locus orbis terrarum vacuus extraordinariis fascibus, & imperio Clodiano.

2. Synecdoche est, cùm nomen totius, pro parte adhibetur; ut *Cicero pro Domo*, quod Senatus, & populus Rom. & omnes mortales judicârunt, id est, pars Senatus, populíque & pleríque homines. vel 2. Cùm nomen partis pro toto, ut *Cic. in Catil.* 3. Mucrones à jugulis vestris rejecimus, id est, enses à corporibus; Tecto & sedibus recipere, pro domo. *Orat. pro Rullo*, vel 3. Materia pro composito, ut ferrum pro gladio, Tum Cethegus, qui paulò antè de gladiis, & Sicis, dixit se semper ferramentorum studiosum fuisse: *In Catil.* 2.

3. Metaphora est, cùm propter similitudinem quandam vox una pro alia adhibetur; ut Adumbratum pro ficto. Habuit ille multa

maximarum virtutum non expressa, sed adumbrata virtutum signa; *in Orat. pro Cœlio.* Abligurire patrimonium, pro consumere, & ut omnes mortales istius avaritiæ, non jam vestigia, sed ipsa cubilia videre possunt. *In Verrem*: 2.

4. Allegoria est Metaphora continuata, ut *Orat. pro Murenâ*; Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tâmque varias creditis habere agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æstus habet Ratio Comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita sæpe perturbat omnia, & totam opinionem parva commutat aura rumoris? Item *Orat. pro Quintio*, Ita fit, ut ego qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum telum adversarius nullum jecerit, illis autem id tempus impugnandi detur, cùm & vitandi illorum impetus potestas adempta nobis sit, Et siquâ in re (id quod parati sunt facere) falsum crimen quasi venenatum aliquod telum jecerit, medicinæ faciendæ locus non erit, De Incommodis Patroni, qui reum defendere antequam accusetur, compellitur.

5. Ironia, sive illusio est, Cùm quid contrarium ei quod verbum sonat, innuitur, ut *Cicero de Clodio*, Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta servavit. Et *de Verre.* An id quod dicunt, Leve est? Nihil levius, quam Prætorem urbis hoc jurit in suo Magistratu constituere, omnibus

omnibus iis quibus hæreditas venerit, cohæredem Prætorem esse oportere.

6. Hyperbole, ut *Pro Lege Manilia*. An quisquam dubitabit quid virtute perfecturus sit, qui ipso nomine, ac rumore defenderit? & deinde, Hoc breviter dicam; Neminem unquam tam impudentem fuisse, qui à Diis immortalibus tot, & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas Dii immortales ad Cn. Pompeium ultro detulerunt. Et de Antonio. *Phil.* 2. Quæ Charibdis tàm vorax? Oceanus medius fidius vix videtur tot res tam dissipatas, tam distantibus locis positas, tam citò absorbere potuisse.

7. Tapinosis est, quâ rei magnitudo extenuatur, ut *pro Ligario*. Scelus tu id vocas, Tubero? Cur? isto nomine illa adhuc causa caruit, alii Errorem appellant, Alii timorem, alii durius, Spem, Cupiditatem, Odium, Pertinaciam, qui gravissimè, Temeritatem, Scelus præter te, adhuc nemo.

CAP. V.
De Suavitate Argumenti,

SUavitas Argumenti consistit in Figuris Dictionum, per quas sententia ad Delectationem, quæ auribus percipitur, formantur; 1 Per vocis Repetitionem, 2 per vocis detractionem, 3 per vocis similitudinem.

1 Per vocis Repetitionem formantur, 1 Anaphora, 2 Epistrophe, 3 Complexio,

4. Conduplicatio. 5. Traductio. 6. Gradatio.

1. Anaphora est ejusdem verbi in initio crebra repetitio, ut Cic: *in Catil* 1. Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas quod ego non modò audiam, sed etiam videam, planéque sentiam: Et alibi Cic. *pro Rosc. Amerino.* Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt, causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt, Accusant ii quibus occidi patrem Sexti Roscii bono fuit, causam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem; Accusant ii, qui hunc ipsum jugulare summè cupierunt. Causam dicit is, qui ad hoc ipsum judicium cum præsidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur.

2. Epistrophe, sive Conversio est, cum idem verbum, vel Syllaba, sæpiùs in finem conjicitur, ut Cic. *Phil.* 2. Doletis tres exercitus populi interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos eripuit vobis Antonius. Authoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius. Et Cic. *in Vatinium*. Cùm ego legem de ambitu tulerim, sine vi tulerim, salvis auspiciis tulerim: In Syllabis, ut Cic. de Pompeio *in Orat. pro Lege Manilia*. Ut ejus Voluntati non modo cives assenserint, socii obtemperaverint, hostes obedierint, sed etiam venti, tempestatésque obsecundaverint.

3. Symploche, sive Complexio est, cum idem verbum tum initio, tum in fine adhibetur.

tur. Ut Cicero *pro lege Agr.* Quis legem tulit? Rullus. Quis Comitiis præfuit? Rullus Quis tribus, quos voluit, vocavit? Rullus. Quis Decemviros, quos voluit, renunciavit? Rullus.

4. Conduplicatio, sive Geminatio est, ejusdem verbi aliàs in principio, aliàs in fine, aliàs post interjectionem, vel parenthesin, usurpatio, ut Cicero *in Catil.* 1. Vivis, & vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Et multi, & graves dolores inventi parentibus, & propinquis multi. Et *Phil.* 2. Bona miserum me, (consumptis enim lachrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona inquam Cn. Pompeii acerbissimæ voci præconis subjecta sunt.

5. Polyptoton, sive Traductio est, cum eadem Verba paululùm immutata sæpiùs usurpantur, ut Cic. *in Verrem* 2. Certus locus, Certa lex, Certum tribunal, quo hoc reservetur. Et *Orat. pro Cluentio.* Hoc vinculum est hujus dignitatis quâ fruimur in Republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis.

6. Climax, sive Gradatio est, cum ab uno ad aliud, & ab alio ad tertium, vel ulterius ascenditur, ut Africano virtutem industria; virtus gloriam, gloria æmulos comparavit. Et pro Milone, Neque verò se populo solum, sed etiam Senatui tradidit, nec Senatui modò, sed publicis præsidiis, & armis, neque his tantùm, verum etiam ejus potestati, cui Senatus totam Rempub. commiserat.

2 Per Detractionem, sive Omissionem verbi figuræ formantur Dialyton, & Zeugma.

1 Dialyton est cum plura verba aut sententiæ demptis Conjunctionibus proferuntur. ut *de Provin. Consularibus.* Sit in ejus Tutelâ, cujus virtuti, fidei, fœlicitati commendata est. Et non illæ sunt solæ virtutes Imperatoriæ, quæ vulgò existimantur, Labor in negotiô, Industriæ in agendo, Celeritas in conficiendo, Concilium in providendo, &c. *Cic. pro Lege Manilia.*

2 Zeugma sive adjunctio est, cùm ad unum verbum, quod primum, aut postremum ponitur, plura referuntur: ut vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, *Cic. pro Cluentio.* Et è contra. Nec enim is es, Catilina, ut te aut Pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocaverit. *in Catil.* 1.

III. A Similitudine vocùm formantur Paronomasia. 2 Homoioptoton. 3 Isocolon, et 4 Antitheton.

1 Paronomasia, sive Agnominatio est, cùm verba cognata, aut paululum mutata in Oratione ponuntur, ut, Hem, cùm Magister ejus ex Aratore Orator factus sit. *Cic. Phil.* 3.

2 Homoioptoton, sive similiter cadens, aut desinens est, cùm verba diversa eodem casu, aut similia eodem exitu proferuntur. ut *Cic. pro Lege Man.* Quantâ Innocentiâ debent esse Imperatores, quantâ deinde in omnibus rebus tempe-

temperantiâ, quanto ingenio, quantâ fœlicitate? Et non modò ad Salutem ejus extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam. *Cic. pro Milone.*

3 Ilocolon, sive compar est, cum membra Orationis, pari ferè numero Syllabarum constant; ut *Cic. pro Lege Man.* Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longè, latéque dispersum, Cn. Pomp. extremâ hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.

4 Antitheton, sive Contrapositio est, cùm singula singulis, vel plura pluribus opponuntur; ut *Metellus* dixit. Amicitias immortales, inimicitias mortales esse debere, *Et in Verrem.* 4. Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus Prætoris adventum, cum illius Imperatoris victoriâ, hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto, hujus libidines, cum illius continentiâ.

CAP. VI.

De Vigore Argumenti.

VIgor Argumenti consistit in Figuris sententiarum, quæ præter morem communem loquendi variè cum pro concepta Oratoris formantur, tum ad captum Auditoris finguntur.

I. Pro conceptu Oratoris variè formantur. 1 Interrogatio. 2 Dubitatio. 3 Exclamatio. 4 Aposiopesis. 5 Correctio. 6 Concessio. 7 Præteritio. 8 Occupatio.

1. Interrogatio est, cum pro certa affirmatione, quis de re aliquâ quasi dubiâ fiscitatur, ut *Cic. in Catil.* 1. Quousque tandem abutêre patientiâ nostrâ, Catilina? Quamdiu nos furor iste tuus eludet? Quem ad finem sese effrænata jactabit audacia?

2. Dubitatio est, cum quis stupore aliquo affectus videri vult; ut *Cic. pro Rosc. Amer.* Quid primum querar? aut unde potissimum exordiar, Judices? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorúmne immortalium, Populíne Romani, Vestrúmne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem? *Et pro Cluentio*, Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam nescio. Negem fuisse illam infamiam judicii corrupti? negem illam rem agitatam in concionibus? jactatam in judiciis? commemoratam in Senatu? Evellam ex animis hominum tantam opinionem? tàm penitùs insitam? tam vetustam? Non est nostri ingenii, vestri auxilii est, Judices, hujus innocentiæ in sic calamitosâ famâ, quasi in aliquâ perniciosissimâ flammâ, atque in communi incendio subvenire.

3. Exclamatio est, cum pro admiratione vel indignitate aliquis apertè, vel tacitè vociferatur; ut *Cic. in Catil.* 1. O tempora, ô mores, Senatus hæc intelligit; Consul videt, & tamen hic vivit; Et alibi *in Verrem*: Etenim hoc dico, & magnâ voce dico, ubicunque factum est, quicunque hoc fecit, supplicio dignus est

4. Aposiopesis, sive Reticentia, est cum.

cum quis abruptè aliquid, quod in animo habere videtur omittit, ut *pro Milone*, An hujus ille Legis, quam Clodius à se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam Consule? De nostrum enim omnium, non audeo totum dicere.

5. Correctio est, quæ tollit verbum, quod prolatum est, & pro eo magis idoneum reponit. Ut Habet Pub. Quintius Adversarium Sextum Nævium, revera hujusce ætatis homines disertissimos, & qui communi studio summis opibus Sextum Nævium defendant, si id est defendere, Cupiditati alterius obtemperare, quo is faciliùs quem velit, iniquo judicio opprimere possit. Et *in Verrem* 1. Non furem, sed direptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed sacrorum, religionúmq; hostem, non sicarium, sed crudelissimum civium, sociorúmque carnificem, in judicium vestram adduximus.

6. Concessio est, cùm quis aliquid largiri videtur, ut reliqua magis exaggerare possit, ut *Cic. in Verrem.* 5. Levia sunt hæc in eo crimina, Metum Virgarum Navarchus nobilissimæ Civitatis pretio redemit, Humanum. Alius necondemnaretur, pecuniam dedit, usitatum est. Non vult populus Romanus obsoletis criminibus accusari Verrem, non postulat, inaudita desiderat, non de Prætore Siciliæ, sed de crudelissimo Tyranno judicium fieri arbitratur.

7. Paralepsis sive Præteritio est cum quis dissi-

dissimulare videtur id, quod maxime intendit, ut *Cic. contra Rullum*. Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ & damni, prætermitto illa, quæ nemo est quin gravissimè conqueri possit; Nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi Romani possessionem, Subsidium annonæ, Horreum belli, sub signo, clausträsque Reipub. positum vectigal, servari non potuisse. Prætermitto omnem hanc Orationem, & Concioni reservo; de periculo Salutis, & libertate loquor.

II. Ad Captum Auditoris accomodatæ finguntur. 1 Prolepsis. 2 Apostrophe. 3 Communicatio. 4 Prosopopeia. 5 Ethopoeia. 6 Hypotyposis.

1 Prolepsis, sive Occupatio est, cùm cuis illud sibi objicit, quod ab alio expectare potuit, cui responsionem paratam habet, ut *Cic. pro Cælio*. Dicet aliquis, Hæc igitur est tua Disciplina? Sic tu instituisti adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit, ut in amore, in voluptatibus adolescentiam collocaret, & hanc tu vitam, & studium defenderes? Ego, inquit, Judices, si quis hoc robore animi, atque hâc indole virtutis sit, ut respueret omnes voluptates, & hunc meâ sententiâ divinis quibusdam bonis instructum, atque ornatum judico: At multi & nostrâ & Patrum, majorúmque memoriâ, Judices, summi homines, & clarissimi cives, fuerunt, quorum cùm adolescentiæ cupiditates deferbuissent

buissent, virtutes firmatâ jam ætate extiterunt.

2 Apostrophe est, cùm à Judice, vel ab Auditoribus, ad res alias sermo convertitur, ut *Cic. pro Milone*, Vos jam Albani tumuli, atq; Luci, imploro atq; obtestor. Et *in Catil.* 1. Tum tu Jupiter, quem Statorem hujus urbis, atque imperii verè nominamus, hunc & hujus socios, à tuis aris, cœterisque Templis, à tectis urbis, ac mœnibus, à vita fortunisque Civium omnium arcebis.

3 Communicatio est, cum quis aut Judices, aut Adversarios consulit, ut *Cato*, Si vos in eo loco fuissetis, quid aliud fecissetis? Et *Cic. pro Rabirio*, Tu denique Labiene, Quid faceres in tali re, ac tempore, cum ignaviæ ratio te in Latebras impelleret, improbitas & furor L. Saturnini in Capitolinum arceret; Consules ad patriæ salutem vocarent? quam vocem, cujus sectam sequi, cujus imperio parere potissimum velles.

4. Prosopopœia, sive fictio personæ est, cùm aliqua persona, quæ non adest, quasi adsit, confingitur, aut rei mutæ oratio tribuitur, ut *Cic. pro Cælio, de Clodio.* Existat igitur ex hâc ipsâ familia aliquis, ac potissimum Cæcus ille, qui profectò si exiterit, sic aget, & sic loquetur, Mulier quid tibi cum Cælio? Quid cum homine adolescentulo? cur aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares, aut tam inimica, ut venenum timeres? Et *in Catil.* Etenim si mecum Patria, quæ mihi meâ vitâ multò est clarior, si cuncta Italia, si omnis Respub.

Reſpub. loquatur, M. Tulli, quid agis? Tuneum, quem eſſe hoſtem comperiſti, quem ducem belli futuri vides, quem expectari Imperatorem in caſtra hoſtium ſentis, auctorem ſceleris, principem conjurationis, & exire patieris, ut ab te non emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem videatur? nonne hunc in vincula duci, nonne ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio mactare imperabis?

5 Ethopopeia eſt imitatio vitæ, ac morum alicujus, ut *Cic. contra Rullum*, jam deſignatus, alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur, veſtitu obſoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior quàm antè, barbâque majore, & oculis, & aſpectu denuntiare vim Tribunitiam, & minitari Reipub. videretur.

6 Hypotypoſis eſt forma quædam rerum ita verbis expreſſa, ut cerni potiùs quàm audiri videatur. *Cic. in Verrem.* 5. Ipſe inflamatus ſcelere ac furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.

CAP. VII.

De Compoſitione Orationis, ſive de Diſpoſitione Argumentorum.

ORationis Compoſitio oritur ex connexione Argumentorum, ſive diſpoſitione in partes, quæ ſunt ut plurimùm, Exordium, Narratio, Confirmatio, Confutatio, & Perotario.

1. Exordium eſt principium Orationis, in quo,

quo Argumenta ad Auditorum benevolentiam, & attentionem conciliandam adhibentur. 1 Benevolentia conciliatur 1 à Persona Oratoris, cùm se ex Necessitudine aliquâ, aut utilitatis publicæ studio ad dicendum commotum ostendit; quemadmodum *Cic. pro Rabirio*, Perduellionis reo. Me, inquit, cum Amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis, ad C. Rabirium defendendum est cohortata, tum verò ut studiosissimè facerem, salus Reipubl. consulare officium. Consulatus denique ipse, mihi unà Vobiscum cum salute Reipubl. commendatus coëgit. 2 à Personâ Auditoris, cùm quis se ejus benignitate, ac justitiâ fretum declarat; Ita *Cic. pro Plancio*, Nunc autem, *inquit*, vester, Judices, conspectus, & conservus iste reficit, & recreat mentem meum; Video enim hoc in numero neminem, cui mea salus chara non fuerit, Itaque non extimesco, ne Cn. Plancio custodia meæ salutis apud eos obsit, qui meipsum salvum videre maximè voluerunt. 2 Attentio à reipsâ sive causâ conciliatur cum quis de re novâ, & magnâ, aut ad Rempub: pertinente, se verba facturum pollicetur; ut *Cic. in Orat. pro Domo suâ*. Quod si ullo, inquit, tempore magna causa in Sacerdotum populi Romani judicio, ac potestate versata est, hæc profecto tanta est, ut omnis Reipub. dignitas omnium civium salus, vita, libertas, aræ, foci, penates,

nates, bona fortunæ, domicilia, veſtræ ſapientiæ, poteſtati, fideique commiſſa, creditaque eſſe videantur.

2.. Narratio eſt Cauſæ, de quâ quis dicturus eſt, ad Auditorem inſtruendum, & dirigendum, Explicatio: Cùm & id, de quo agitur, & quid in ejus tractatione expectandum ſit, exponit, ita *Cic: in Orat. pro lege Man.* quâ Cn: Pompeius bello Aſiatico præficiendus, à Tribuno plebis rogabatur. Bellum, inquit, grave, & periculoſum veſtris vectigalibus, atque ſociis, à duobus præſtantiſſimis regibus, Mithridate & Tygrane infertur: afferuntur ex Aſiâ literæ, quæ referunt unum Pompeium, ex omnibus ſociis, ac Civibus, ad id bellum Imperatorem depoſci atque expeti, eundem hunc unum ab hoſtibus metui, præterea neminem. Cauſa quæ ſit videtis, nunc quid agendum ſit conſiderate. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo dicendum.

3 Confirma io eſt, in qua Argumenta ad fidem, & aſſenſum ei, quod propoſitum eſt, comparandum adhibentur: ita *Cic. in eadem Oratione.* Poſtquam de genere belli, ejuſque magnitudine diſſeruiſſet, contendit Cn. Pompeium Imperatorem deligendum, quia Scientia rei militaris, virtus, authoritas, et felicitas in Imperatore requiſita, in eo maximè perſpicua, et eminentia fuerint, quod ex rerum antea geſtarum commemoratione copioſâ et eleganti oſtendit et probat.

4. Con-

4. Confutatio est, in quâ ad amovendum præjudicium, et suspicionem in iis quæ in contrarium prolata sunt, Rationes et Argumenta deducuntur, ita Cicero, Hortensio qui uni Pompeio omnia non esse tribuenda censuit, & Catulo, qui periculosum reipub: dixit, si quid ei, in quo omnia ponebantur, mali accideret, respondit, ostendens Hortensii errorem, qui idem censuisset, cùm A. Gabinis de uno Imperatore contrà prædones maritimos constituendo, legem promulgasset, &c. & à Catulo dissentiebat, quòd quò minùs certa est hominum vita, & minus diuturna, hoc magis Respub: dum per Deos immortales licet, summi hominis vitâ atque virtute frui debet.

5. Peroratio est orationis Conclusio, in quâ Argumenta ad Recordationem, & Affectus Causæ consentaneos, excitandum conferuntur; ita *Cic. in Orat. pro Cluentio* cum impudicæ matris machinatione, ipsi venenum paratum, & eo nomine Oppianicum vitricum justè condemnatum, ejusdémque instigatione, crimen corrupti judicii eî intentatum, ostendisset, ad invidiam matri, & ipsi misericordiam, commovendam, sic concludit. Mitto illam primam libidinis injuriam, mitto nefarias generi nuptias, & quæ non ad hujus vitæ periculum, sed ad commune dedecus familiæ pertinebant; Illud queror de scelere quod nunc patefactum est, Fabritiani veneni, & vos Judices, hujus importunitatem matris, à filii capite depellite; satis diu fuit in miseriis, Judices, satis mul-

tos annos ex invidiâ laboravit; Vos qui æqui estis omnibus, qui ut quisque crudelissimè oppugnatur, eum lenissimè sublevatis, conservate, vestrum est hoc, Judices, vestræ dignitatis, vestræ clementiæ, ut virum optimum, atque innocentissimum, plurimisque mortalibus carum, his aliquando calamitatibus liberetis, ut omnes intelligant in concionibus esse invidiæ locum, in Judiciis veritati.

CAP. VIII.

De Oratione in genere Deliberativo.

GEnus Deliberativum est in quo, in Senatu, de re futurâ Consultatio instituitur, quæ finem habet suasionem, aut dissuasionem, ad commovendum Affectus, Spei, Desiderii, & Audaciæ, vel metus, Aversationis, & Diffidentiæ. Argumenta, vel Rationes, quibus Consilii sententia, quâ quid suadetur, confirmatur, primò ad id quod possibile est, & facile; deinde præcipuè ad utilitatem, & dignitatem, referenda sunt, ita *Scipio apud Livium*, contendit, posse Annibalem in Africâ vinci utile esse, requiescere aliquando diu vexatam Italiam, & ad dignitatem populi Romani, famámque apud gentes externas pertinere, non ad defendendam modo Italiam, sed ad inferenda etiam Africæ arma, videri Romanis animum esse.

Qui dissuadet, etiam illud, de quo deliberatur Difficile, inutile, & periculosum esse monstrare:

ſtrare habet, ut *Fabius Maximus*, ne Scipio in Africam trajiceret, cenſuit; Quia P.R. in Italia, & Africâ duos exercitus alere non poſſit, Quia ſi Victor Annibal ad Urbem pergeret, Scipio Conſul ex Africâ fruſtra accerſeretur. Quia Reges, Imperatoréſq; temerè in hoſtium terras progreſſi, ſe exercitúſq; ſuos maximis cladibus affecerunt; ut Athenienſes, magnâ claſſe in Siciliam tranſmiſſâ unâ navali pugnâ, florentem ſuam Rempub. in perpetuum afflixerunt, Cujus etiam rei in eadem Africâ. M. Attilius, inſigne fortunæ utriuſque exemplum, Romanis documento eſſe potuit iiſdem rationibus Cic. Philip. 7. Pacem inquit, cum M. Antonio eſſe nolo, quia Turpis eſt, quia periculoſa eſt, quia eſſe non poteſt, quæ ſingula in eâdem oratione latè per ſequitur.

CAP. IX.

De Oratione in Genere Demonſtrativo.

GEnùs Demonſtrativum eſt, quod in Concione, in Perſonæ, vel rei alicujus præſentis, Laudationem, aut Vituperationem, tribuitur, quarum illa, ad excitandum amorem, Honorem & Admirationem; Hæc ad Odium, & Contumeliam adhibetur: Laudatio, & Vituperatio, utráque eſt vel abſoluta, cùm quid ſimpliciter laudatur, vel vituperatur; vel Comparata, cùm inter duo, vel plura de laude, vel vituperio comparatio inſtituitur.

1. Laudationis Argumenta petenda ſunt ab Honeſtate, Virtute, & Rebus præclarè geſtis.

Ab

Ab honeſtate ſcil. Patriæ, Generis, familiarum, ſtudiorum, & à Virtute Civili, vel bellicâ, & à rebus tùm in pace, tùm in bello præclarè geſtis. Priorum reſpectu Cic: A. Licinium Archiam, & Servium, Sulpitium, Poſteriorum, Cn. Pompeium, & C. Cæſarem laudibus illuſtravit.

1. In Oratione pro Archiâ poëtâ, eum laudat, quod Antiochiâ natus ſit loco nobili, & celebri quondam Urbe, quod ut primùm ex pueris exceſſit, atque ab iis Artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe ad ſcribendi ſtudium contulit, Poſt in cæteris Aſiæ partibus, cunctáque Græciâ ſic ejus adventus celebrabatur, ut famam ingenii, expectátio hominis, expectationem ipſius adventus, admiratióque ſuperaret. Hâc celebritate famæ Romam venit, Ibi jucundus fuit. Q. Metello audiebatur à M. Æmilio, vivebat cum Q. Catulo, à L. Craſſo colebatur, deinde eum propter eruditionem, & humaniarum literarum cognitionem, commendat, quia cùm ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam, confirmatióque Doctrinæ, tum illud quid præclarum, ac ſingulare ſolet exiſtere, ex hoc numero fuiſſe divinum hominem Africanum, ex hoc C. Lælium, Q. Furium; ex hoc fortiſſimum virum, & illis temporibus doctiſſimum, M. Catonem ſenem, qui ſi nihil ad præcipiendum, colendámque virtutem literis adjuvarentur, nunquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent, Quod ſi non tantus hic fru-

ctus

ctus oſtenderetur, & ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur, tamen hanc animi remiſſionem humaniſſimam, & liberaliſſimam judicari oportet. Nam cætera neque temporum, neque ætatum ſunt omnium, hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, Senectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium, ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

2. *Phil.* 9. Servium Sulpitium à Prudentiâ, & Juſtitiâ laudat; Nec verò ſilebitur, inquit admirabilis, & incredibilis ejus in Legibus interpretandis, æquitate explicandis ſcientia; Omnes, qui ex omni ætate hâc in Civitate intelligentiam juris habuerunt, ſi unum in locum conferantur, cum Servio Sulpitio non ſunt comparandi, neque enim ille magis Juriſconſultus, quàm Juſtitiæ fuit. Itáque, quæ proficiſcebantur à legibus, & Jure Civili, ſemper ad facilitatem, æquitatémque referebat, neque conſtituere litium actiones malebat, quam controverſias tollere.

3. In Oratione *pro lege Manilia* à rebus præclarè geſtis, & ſummâ moderatione Cn. Pompeium extollit, deque ejus in Victoriis acquirendis prudentiâ & ſolertiâ. Teſtis eſt, inquit, Italia, ejus virtute, & conſilio liberata; Teſtis eſt Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, ſed celeritate conſilii explicavit, Teſtis eſt Africa, quæ magnis oppreſſa hoſtium copiis, eorum ſanguine redun-

redundavit; Et deinde, At magnâ innocentiâ, facilitate, humanitate debent esse Imperatores, quæ in Cn. Pompeio summa sunt omnia, Cujus Legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modò manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur, Itáque omnes quidem nunc in iis locis intelligunt, non sine causa majores suos, tùm cum hac temperanti magistratus habebamus, servire Po. Romano, quam aliis imperare, maluisse. Jam verò ita facilis aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ, de aliorum injuriis esse dicuntur, ut is qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis videatur, Humanitate jam tanta est, ut difficile dictu sit, Utrùm hostes magis Virtutem ejus pugnantes timuerunt, an mansuetudinem victi dilexerint?

4. In Oratione *pro M. Marcello*, C. Cæsarem à clementia majorem gloriam quàm à Victoriis assequutum contendit. Nullum est, *inquit* flumẽ ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, & copia, quæ non dicam exornare, sed ennarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit, tamẽ hoc affirmo, & hoc pace tua dico, nullam in his laudem esse ampliorem, quàm eam, quam hodierno die Marcello condonando consequutus es, Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, eáq; detrahere Ducibus, communicare cũ militibus, ne propriæ sint Imperatorum, maximam etiam partem quasi suo jure Fortuna sibi vendicat, & quicquid est prosperè gestum, id penè omne suum: At verò hujus gloriæ C. Cæsar,

quam

quam paulò antè es adeptus, ſocium habes neminem; totum hoc, quantumcunque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt inquam tuum. Nihil ex iſta laude Centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit, quinetiam illa ipſa rerum humanarum Domina Fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert, tibi cædit, tuam eſſe totam, & propriam fatetur, Nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur. Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas omni copiarum genere abundantes, nulla eſt tanta vis, tanta copia, quæ non ferro & viribus debilitari, frangíque poſſit, verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperarare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute, præſtantem non modò extollere jacentem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego cum ſummis viris, comparo, ſed ſimillimum Deo judico.

2. In genere Demonſtrativo Comparationis exemplum habetur in *Orat pro Murenâ*, ubi Cic. poſtquâ de nobilitate Servii Sulpitii; & L. Mutenæ diſſeruiſſet, ad ſtudiorum & artium contẽtionem procedit, Et qui potes dubitari, inquit, quin ad Conſulatum adipiſcendum multò plus afferat dignitatis res militaris, quã Juris Civilis gloria. Vigilas tu de nocte, ut cõſultoribus reſpõpondeas, ille, ut eò quòd intendit, maturè cũ exercitu perveniat; te gallorũ, illũ buccinarũ cãtus exuſ-

exuſcitat; tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit tu caves, ne tui Conſultores, ille ne Urbes, aut caſtra capiantur, Ille tenet & ſcit, ut hoſtium copiæ, tu ut Aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis. Ac nimirùm (dicendum eſt enim quod ſentio) rei militaris virtus præſtat cæteris omnibus. Hæc nomen P. Romano, hæc huic Urbi æternam gloriam peperit, hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit; omnes Urbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria latent in tutela & præſidio bellicæ virtutis; ſimulátque increpuit ſuſpicio tumultus, Arces illiicò noſtræ conticeſcunt, &c.

3. Vituperationis argumenta è contrariò petenda ſunt, Ab inhoneſto, à vitiis, et ab iis quæ flagitioſe perpetrata ſunt. Prout obſervare licet in *Cic. Oratione in Vatinium*, in quâ inquirit, quæ ab eo in Quæſturâ, Legatione, et Tribunatu geſta ſunt: Et *in ſecundâ Philippicâ contra Antonium*, in qua ejus vitia, et flagitia per omnes ætatis gradus, tùm privatim tùm publicè admiſſa, acriter perſtringuntur: Et *Orat. in Piſonem*, in quâ cùm ejus publica, et privata flagitia inſectatur, et in nonnullis inter ſe et Piſonem comparationem inſtituit.

CAP.

CAP. X.

De Oratione in genere Judiciali.

GEnus Judiciale est, quod coram Tribunali positum est in controversiâ, de facto, vel de re præteritâ, Estque vel Criminale, quod constat Accusatione, et Defensione, in quorum priore moventur Affectus, Odii, Iræ, Indignationis, in posteriore Gratiæ, Lenitatis, et Misericordiæ; vel Civile, in quo intentatur Actio, et opponitur Exceptio.

1. In Accusatione quæritur primo, An quod objicitur, factum sit? Secundò, An id de quo constat, pravè et facinorosè factum sit?

1. Ad probandum quòd quid factum sit, exploranda sunt, voluntas, facultas, et signa, vel Argumenta petenda sunt, A Personâ ejus de cujus facto quæritur, atque adeo à vitâ anteactâ. 2. Ab Affectibus, quibus impelli potuit, ad tale factum perpetrandum. 3. A viribus, et Ministris quibus potuit tale factum perpetrare. 4. A Commodis quæ obtineri, et incommodis quæ per illud factum evitari potuerint. 5. Ab opportunitatibus Loci et temporis. 6. Ab Indiciis, sive signis antecedentibus, connexis, et consequentibus. Ita *Cic. in Orat. pro Milone*, contendit Clodium Miloni insidiatum fuisse; ubi vidit, inquit, Homo ad omne facinus paratissimus, fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum Consulem, palam agere cæpit, et apertè dicere, occiden-

occidendum Milonem, Servos agrestes & barbaros, quibus sylvas publicas depopulatus erat, ex Apennino deduxit, palam dictitabat, Consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse; Cùm sciret iter solenne, & legitimũ Miloni esse Lanuvium, Romæ subitò ipse pridiè profectus est, ut ante suum fundum, Miloni insidias collocaret; atque ita profectus est, ut concionem turbulentam in quâ ejus furor desideratus est, relinqueret: Miloni proficienti obviam fit Clodius, expeditus in equo, nullâ rhedâ, nullis impedimentis, nullis comitibus, ut solebat, sine uxore, quod nunquam ferè, cùm Milo cum uxore veheretur, in rhedâ penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri, & delicato ancillarum, puerorúmque comitatu, Fit obviam Clodio ante fundum ejus, horâ undecimâ, statim complures cum telis de loco superiore in hunc faciunt impetum, &c: Et *in Orat. pro R. Amerino*, probare nititur Titum Roscium cædem commisisse, quod, causam, id est, commodum & facultatem occidendi habuit.

2. Cùm de facto constat ad probandum quod pravè, ac facinorosè factum sit, ostendendum quod factum sit, contra pietatem, honestatem, fidem, Leges divinas & humanas ita *Cic. pro Cælio*, de Nuptijs Sassiæ cum Melino genero; Discessit, inquit, à Melino Cluentia, Tum verò illa Egregia ac præclara mater, palàm exultare lætitiâ ac triumphare gaudio cœpit, Itaque diutiùs suspicionibus obscuris lædi famam suam noluit, Lectum illum geniralem,

quem

quem biennio ante filiæ ſuæ nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari, & ſterni, expulsâ atque exturbatâ filiâ, jubet, nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis ominibus omnia. O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unam, in omni vitâ inauditum! O libidinem effrenatam & indomitam! O audaciam ſingularem! Non timuiſti, ſi minùs vim Deorum, hominumque famam, at illam ipſam noctem faceſque illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos, ſuperiorum teſtes nuptiarum?

2. Pro Defenſione, cum quæritur, An quid factum ſit, ex iiſdem locis argumenta ſuppeditantur, *ita Cic. pro Roſcio Amerino*, probat eum non fuiſſe Parricidam ab ejus vitâ anteactâ & moribus, 2. quia nulla cauſa fuerit, quâ inductus patrem occideret, non luxuries, non æs alienum. 3. Quia ruri ſemper habitavit, cujuſmodi vita eſt à cupiditate maximè ſejuncta, & cum officio conjuncta. 4. Quod non appareat, ubi, quando, aut quibus auxiliis fecerit.

Cùm factum eſt in confeſſo, juſtè factum defenditur, aut aliquo modo excuſatur.

1. Cùm juſtè factum defenditur, Argumenta etiam petenda ſunt à Jure, Legibus, Conſuetudine, & Exemplis. Ita Cic. Clodiũ à Milone juſtè interfectum arguit. Si tempus eſt ullum jure hominis necandi, quæ multa ſũt, certè illud eſt non modo iuſtũ, verum etiam

necessariam, cùm vi, vis illata defenditur. Pudicitiam cum eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus Imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim afferebat, facere enim probus adolescens periculosè, quàm perpeti turpitèr maluit; Atque hunc Ille vir summus scelere solutum periculo liberavit. Insidiatori verò, & Latroni quæ potest afferri injusta nex? Quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim hæc, Judices, non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis: Silent enim leges inter arma, nec se expectari jubent, cùm ei, qui expectare velit, antè injusta pœna luenda sit, quàm justa repetenda.

2. Cùm factum omnino defendi non potest, sed aliquo modo excusandum videtur; prætendi potest, quod factum sit præter animi intentionem aut voluntatem, aut ex necessitate, quæ nullo modo vitari potest. Ita *Cic. pro Quinto Ligario*, cum accusatus esset, quod Cæsaris inimicis favisset, Quintus Ligarius inquit, cum esset adhuc nulla belli suspitio, Legatus in Africam cum Proconsule C. Considio profectus est, post ejus discessum, cum diu re-

cusans

cusans nihil profeciſſet, Provinciam accepit invitus, Bellum ſubitò exarſit, tum Ligarius domum ſpectans, & ad ſuos redire cupiens, nullo ſe implicari negotio paſſus eſt, interim Pub. Actius Varus, qui Prætor Africam obtinuerat, Uticam venit, ad eum ſtatim concurſum eſt: itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paulùm adventu Vari conquievit; Adhæc C. Cæſar Q. Ligarius omni culpâ vacat, domo eſt egreſſus, non modò nullum ad bellum, ſed ne ad minimam quidem ſuſpitionem belli, Legatus in pace profectus, in provinciâ pacatiſſimâ ita ſe geſſit, ut ei pacem eſſe expediret; Profectio certè animum tuum offendere non debet; Num igitur remanſio? Multò minùs; Nam profectio voluntatem habuit non turpem, remanſio etiam neceſſitatem honeſtam, ergo hæc duo tempora carent crimine, unum, cùm eſt Legatus profectus, alterum cùm effligitatus à provinciâ, præpoſitus Africæ eſt, Tertium eſt tempus quo poſt adventum Vari in Africâ reſtitit: Quod ſi eſt criminoſum, neceſſitatis crimen eſt, non voluntatis. An ille, ſi potuiſſet illinc ullo modo evadere, Uticæ potiùs, quàm Romæ, cum P. Actio, quàm cum concordiſſimis fratribus, cum alienis eſſe, quàm cum ſuis maluiſſet?

3. Judicium Civile eſt, in quo de jure aliquo privato, utpote de ſtatu, dominio, vel debito controvertitur, per modum Actionis, & Exceptionis; Actionis ex parte Actoris, & Exceptionis ex parte Rei. In cujuſmodi cauſis

Argumenta, utrinque desumuntur, etiam á Legibus & consuetudine, à Tabulis sive Instrumentis publicis, à Scripturis privatis, & à Testimoniis.

De statu Personæ agitur in Oratione *pro Balbo*, in quâ quæritur, An Balbus Civitate Romanâ ritè donatus sit? Et in Orat. *Pro Archiâ Poetâ*, An Archias à Civibus Romanis sit segregandus?

De Dominio agitur in Oratione Ciceronis *pro Domo suâ*, in quâ contendit, Domum suam propter Clodii consecrationem sacram non esse, sed ab omni religione vacuam & puram; Et in Oratione *pro Cæcinâ*, in quâ quæritur An Cæcina ab Æbutio è fundo ejectus, ex Interdicto unde vi restituendus sit?

De Debito agitur in Oratione *pro Roscio Comœdo*, ubi quæritur, An Roscius aliquid Fannio debeat ex societate? Et in Oratione *pro Quintio* ubi controvertitur, An Nævius pro debito ex societate, Edicto Prætoris in possessionem bonorum P. Quintii justè missus sit?

SPECIMEN
MORALIS PHILOSOPHIÆ,
Definitionibus, Præceptis, et sententiis *M. Tullii Ciceronis* illustratæ.

Calvinus Institutionum. lib. 2. Cap. 2. nu. 13.

Quoniam Homo animal est Naturâ sociale, naturali quoq; instinctu ad tuendam, conservandamq; societatem propendet, ideo Civilis cujusdam, & Ordinis, & Honestatis, universales impressiones, animis omnium hominum inesse conspicimus.

PARS PRIMA.

CAP.

1. *DE Morali Philosophia, & de Ratione Intellectûs Practici.*
2. *De Fœlicitate, sive summo bono, & de ejus Adminiculis.*
3. *De Societate humana, & de societate speciali.*
4. *De Voluntate Hominis, & de Affectibus.*
5. *De Actionibus moralibus, & de Officiis.*

Pars secunda.

CAP.

1. *De Virtute.*
2. *De Prudentia.*
3. *De Justitia.*
4. *De Temperantia.*
5. *De Fortitudine.*

Pars tertia.

CAP.

1. *De Decori Observatione.*
2. *De Decoro Personæ.*
3. *De Decoro Actionis.*
4. *De Decoro Sermonis.*
5. *De Decoro Gestus.*

CAP.

PARS PRIMA,

CAP. I.

De Morali Philoſophia, & de Ratione Intellectus Practici.

PHiloſophia Moralis, eſt Diſciplina bene Agendi, ſive vivendi ſecundum Rationem Intellectus Practici. Intellectus Practicus eſt facultas Animi quæ verſatur circa Res Agendas, Ejúſque Ratio conſtat, Primum ex Principiis, quæ ſunt Notitiæ Naturales, deinde ex Concluſionibus, Ratiocinatione, & Experientiâ collectis, quibus utriſque, quis ad ſui Conſervationem, & Converſationem cum aliis inſtruitur.

Rationi Intellectus Practici adverſantur, Ignorantia, quæ eſt Eorum quæ ad ſe, & alios pertinent Inſcitia, & Error, quo quis opinione falsâ, in iiſdem abducitur.

In Morali Philoſophia conſiderantur, Ejus 1. Finis, quæ eſt Fælicitas, ſive ſummum Bonum. 2. Objectum, ſcil. Societas Humana, 3. Objectum internum, nempe Voluntas, & Affectus Hominis. 4. Objectum Externum, Utpote Actiones, & Officia. 5. Media quæ ad Finem, ſive Fælicitatem perducunt; Virtus ſcil. & Decori Obſervatio.

Omnis Cognitio, Motúſque Animi, aut *Offic.* in *10.*

in ſtudiis Scientiæ, cognitioniſque verſatur aut in Conſiliis capiendis de Rebus Honeſtis, & ad bene beatéq; vivendum pertinentibus.

Academia Tuſc. ul. 5. Ab antiqua Philoſophia, uſque ad Socratem, Numeri, Motúſque tractabantur; & unde omnia orirentur, quóve recederent, ſtudioſè ab iis Syderum Magnitudines, intervalla, curſus inquirebantur, & cuncta Cœleſtia, Socrates autem primus Philoſophiam devocavit de cœlo, & in Urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita, & Moribus, rebúſque bonis, & malis de Virtutibus & Vitiis quærere.

Tuſcul. 4. in fine. Cum Philoſophia ex Rationum collatione conſtet, ab ea ſi boni, et beati eſſe volumus, omnia adjumenta, et auxilia benè, beatéque vivendi petenda ſunt.

Tuſ. cul. 2. Efficit hæc Philſoophia, Medetur Animis, inanes Sollicitudines detrahit, Cupiditatibus liberat, pellit timores, ſed hæc ejus vis, non idem poteſt apud omnes, tum valet multum, cum eſt idoneam complexa naturam.

Tuſcul. 3. Eſt profecto Animi Medicina Philoſophia, cujus auxilium nõ ut in Corporis morbis petẽdum eſt foris, ſed omnibus, opibus, viribúſq; ut noſmet ipſi mederi poſſimus, elaborandum eſt.

De finibus 5. Graviſſimi Philoſophi Initium Summi boni, à Natura petiverunt, et illum Appetitum rerum ad Naturam accommodatarum, ingeneratum omnibus putaverunt, quòd continentur ea Commendatione Naturæ, Quod ſeipſos diligant.

Eod. Illã prima Commendatio quæ à Natura

nobis facta est, nobis obscura, & incerta est, primúsq; ille Animi appetitus tantum agit, ut salvi, atque integri esse possimus, Cum autem dispicere cœperimus, atque sentire, quid scimus, & quid ab animantibus cæteris differamus, tum ea sequi incipimus, ad quæ nati sumus.

Principio generi Animantium omni est à Natura tributum, ut se, Vitam, Corpúsq; tueatur, declinétq; ea quæ nocitura videntur, omniáq; quæ ad vivendum necessaria sunt inquirat, & paret, Commune etiam omnium Animantiũ est, Conjunctionis appetitus procreandi causa, Et Cura quædam Eorum quæ procreata sunt, sed inter Hominem, & Belluam hoc maxime interest, quod Hæc tantum sensu movetur, ad id quod præsens est se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem quantum est Rationis particeps, Principia, & Causas rerum videt, Consequentias cernit. Eorúmq; antecessiones, & progressus non ignorat, similitudinésque comparat, & rebus præsentibus adjungit, annectítq; futuras, facilè totius vitæ cursum videt ad eámq; degendam res necessarias præparat: Eâdem Natura, vi Relationis, Hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem, ingenerátque inprimis præcipuum quendam amorem, in eos qui procreati sũt, impellítq; ut hominũ cœtus & celebrari inter se, & sibi obedire velit, & ob eas causas studeat parare ea, quæ ad victũ, cultúmq; suppeditent, nec sibi soli, sed Conjugi, Liberis, cæterisque quos charos habet & tueri debet. *Offic.* 1.

De finibus 5. Si quis sibi ipsi Inimicus est, eum necesse est quæ bona sunt mala putare, bona contra quæ mala, & quæ appetenda fugere, & quæ fugienda appetere, quæ sine dubio vitæ sunt eversio.

CAP. II.

De Felicitate, sive summo Bono, & de ejus Adminiculis.

FÆlicitas, sive summum Bonum, est Tranquillitas Animi, quæ ex bene, sive Honestè vivendo provenit: Fælicitatis sive Summi Boni Adminicula sunt, quæ ad benè, sive Honestè agendum conducunt, veluti Bona Animi, ut Ingenium, Perspicacitas, Consilium; Corporis, ut Sanitas, Vires, Pulchritudo; Fortunæ, ut Divitiæ, Opes Honores.

Fælicitati sive summo bono adversatur Animi, ex male agendo, Terror, sive Conscientiæ læsæ flagellum.

Adminiculis summi Boni adversantur, quæ à benè agendo impediunt, veluti Animi, Amentia, Delirium, Stupor, Corporis, Ægritudo, Imbecillitas, & Deformitas, respectu Fortunæ Indigentia, Inopia, Dedecus.

De finibus 5. Eod. Cum intelligitur quid sit bonorum Extremum, & Malorum, inventa vitæ via est, & conformatio omnium Officiorum, εὐθυμία, id est, Animi Tranquillitas, est ipsa vita beata, Finis bonorum existit, secundum Naturam vivere, sic affectum, ut optimè affici possit, ad

ad Naturámque accomodatissimè, quod in Homine interpretamur, vivere ex Hominis Natura undique perfecta, & nihil requirente.

Animus non esse solum, sed etiam ejusmodi esse debet ut & omnes partes suas habeat incolumes, & de virtutibus nulla desit. Eod.

Ejus Animi partis quæ Princeps est quæque Mens nominatur, virtutes, quæ suapte natura ingenerantur, sunt Docilitas, Memoria, quæ omnia uno nomine Ingenii appellantur. Eod.

Corporis partes, totáque forma, & statura quàm apta ad Naturam sit apparet, sed opus est eas valere, & vigere, Naturales motus, usúsque habere, ut nec absit quid eorum, nec ægrum debilitatúmve sit, Moderati æqua bilésque Habitus, effectiones usus que Corporis, apta esse ad Naturam videntur. Eod.

Perspicuum est, quoniam ipsi à Nobis diligimur, omniáque & in Animo, & in Corpore perfecta esse velimus, ea ipsa nobis cara esse propter se, & in iis esse ad bene vivendum momenta maxima. Cur non etiam Pulchritudo ipsa propter se expetenda ducatur? Nam si pravitatem, imminutionémque corporis propter se fugienda putamus, cur non etiam, ac fortassis magis, propter se formæ dignitatem sequamur. Eod.

Extremum omnium appetendorum, atque ductum à primâ communitate Naturæ, multis gradibus ascendit, ut ad summum perveniret, quod cumulatur ex integritate Corporis, & ex Mentis ratione perfecta. Eod.

Duo

Duo genera propter ſe expetendorum reperiuntur, unum quod eſt in iis quibus completur Bonum Extremum, quæ ſunt aut Animi, aut Corporis, alterum eorum quæ ſunt extrinſecus, ut Patria, Parentes, Liberi, Propinqui, Amici, quæ ſunt ſuâ ſponte cara, ſed non in eodem genere, quo illa alia ſunt, Nec verò quiſquam ſummum bonum aſſequi poſſit, ſi omnia illa quæ ſunt extra, quanquam expetenda, ſummo Bono continerentur.

Academici cum quæſtione, Lib. 1

Academici primam partem beatè vivendi à Natura petebant, eique parendum eſſe dicebant, neque ulla alia in re, niſi in Natura quærendum eſſe illud ſummum bonum, quo omnia referrentur, conſtituebantque Extremum rerum expetendarum & finem Bonorum, adeptum eſſe omni à Natura & Animo, & Corpore & Vitâ.

Ibid.

Animi, quæ eſſent ad comprehendendam Ingenii Virtutem idonea, Eaque ab iis in Naturam & Mores dividebantur, Naturæ celeritatem ad diſcendum, & memoriam dabant, quorum utrúmque Mentis eſſet proprium, & Ingenii, Morum putabant eſſe ſtudium, & quaſi conſuetudinem, quam partim Aſſiduitate, partim Ratione formabant, in quibus erat Philoſophia ipſa, in qua quod inchoatum, Progreſſio quædam ad Virtutem appellatur, quod autem abſolutum id eſt Virtus, quaſi Perfectio Naturæ, omniumque rerum quæ in Animis ponunt, una res Optima.

Corporis alia ponebant eſſe in Toto, ut

Va-

Valetudinem, vires, Pulchritudinem, alia in partibus, ut ſenſus integros, & præſtantiam aliquam partium ſingularum, ut in Manibus vim, in Pedibus celeritatem, in linguâ explanatam vocum impreſſionem, in Voce Claritatem.

Vitæ autem adjuncta eſſe dicebant, quæ ad Virtutis uſum valerent, Cætera autem pertinere ad id putant, aut ad augendum, aut ad tuendum, ut Divitias, ut Opes, ut gloriam, ut gratiam; Ita Tripartita ab iis inducitur ratio Bonorum, atque hæc illa ſunt Tria genera, quæ putant plerique Peripateticos dicere, quæ & Academicorum erat ſententia, Communis hæc ratio, & utriſque hic bonorum finis videbatur. Adipiſci quæ eſſent prima in Natura, quæque ipſa per ſeſe expetenda, aut omnia, aut maxima: Ea autem ſunt maxima, quæ in ipſo Animo, atque in ipſa virtute verſantur, Itaque omnis illa antiqua Philoſophia, ſentit in una virtute eſſe poſitam beatam vitam, nec tamen beatiſſimam, niſi adjungerentur, etiam corporis, & cætera quæ ſupra dicta ſunt ad virtutis uſum idonea.

Magna vis eſt Conſcientiæ in utramque partem, ut neque timeant illi, qui nihil admiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccaverunt. *Pro Milone.*

Si quis opibus hominum ſibi contra conſcientiam *De finibus.* 1.

entiam ſepti, & muniti eſſe videntur, Deos tamen horrent, eaſque ipſas ſollicitudines, quibus earum Animi noctes atque dies exeduntur, à diis immortalibus ſupplicii causâ importari putant.

Tuſculanarū. 3.

Ut ſapientia eſt ſanitas animi, Inſipientia eſt inſanitas quædam, quæ & Inſania, & Dementia dicitur, eorum ſcilicet quos exiiſſe potſtate dicimus, quia non ſunt in poteſtate mentis, cui regnum totius Animi à Natura tributum eſt, quæ à Furore disjungitur, quem Græci rati ſunt Mentis ad omnia cæcitatem; Stultitiam autem cenſuerunt inconſtantiam ſanitate vacantem, poſſe tamen tueri mediocritatem officiorum, & vitæ communem cultum, atque uſitatum.

CAP. III.

De Societate humanâ communi, & de Societate ſpeciali.

SOcietas humana Communis, ea eſt quæ inter omnes Homines, qui Ratione & Oratione conciliantur, intervenit: Societas Specialis, quæ eſt inter eos, qui ad eandem Gentem, Civitatem, aut Familiam pertinent.

Societati humanæ adverſatur μισανθρωπία, & ſolitudo, & ſtudium ſui ſolius commodi, cum aliorum incommodis promovendi.

De finibus. 5.

In omni Honeſto, nihil eſt tam illuſtre, nec quod latius pateat, quam Conjunctio Hominum

num inter homines; & quaſi quædam Societas, & Communicatio Utilitatum, & ipſa charitas generis humani, quæ nata à primo ſatu, quo à Procreatoribus nati diliguntur, & tota Domus conjugio, & ſtirpe conjungitur, ſerpit ſenſim foras Cognationibus primum, tum Affinitatibus; Deinde Amicitiis poſt Vicinitatibus cum Civibus, & iis qui publici Amici, & Socii ſùt, deinde complexu gentis humanæ.

Communitatis, & Societatis humanæ primum principium eſt, quod cernitur in vniverſi generis humani Societate; ejus autem vinculum eſt Ratio & Oratio, quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando, conciliat inter ſe Homines, conjungitque Naturali quâdam Societate: neque ulla in re longius abſumus à Natura ferarum, ſunt enim Rationis & Orationis expertes, ac latiſſimè quidem patens hominibus inter ipſos, omnibus inter omnes Societas hæc eſt, in qua omnium rerum quas ad communem uſum hominum, Natura genuit, eſt ſervanda Communitas. *Offic. 1.* *ibid.*

Gradus propior Societatis eſt, eſſe ejuſdem Gentis, Nationis, Linguæ, qua maximi homines conjunguntur, Interior etiam eſſe ejuſdem Civitatis, Multa enim ſunt Civibus, inter ſe communia, Forum, Fana, Porticus, Viæ, Leges, jura, judicia, ſuffragia, Conſuetudines, Præterea & familiaritates multæque cum multis res rationeſque contractæ. Arctior eſt verò colliga-

tio

tio Societatis Propinquorum, Ab illa enim immensa Societate humani generis, in exiguum angustúmque concluditur. Nam cum sit hoc Naturâ Commune omnium animantium, ut habeant Libidinem procreandi, prima Societas est in ipso Conjugio, proxima in Liberis, deinde una domus, cui sunt omnia Communia, id autem est principium Urbis, & quasi Semina ium reipub.

Lib. de Amicitia.

Siquis ea est asperitate, & immanitate Naturæ, ut Congressus et Societatem hominum fugiat, atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem, nescio quem, accepimus, tamen is pati non possit, ut non acquirat, aliquem apud quem evomat virus acerbitati suæ. Atque hoc maximè indicaretur, si quid tale possit contingere, ut aliquis nos Deus, ex hac frequentia tolleret, et in solitudinem uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas Natura desiderat, abundantiam et copiam, Hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet, quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre possit? cuique non auferrat fructum voluptatum omnium Solitudo, verum igitur est illud, quod ab Archita Tarentino dici solitum, Si quis cœlum ascendisset, naturámque mundi, et pulchritudinem Syderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore, quæ jucundissima fuisset, nisi aliquem cui narraret, habuisset, sic natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquid tanquam adminiculum annititur, quod in amicissimo

quoque

quoque dulciſſimum eſt. Offic. 3. Magis eſt ſecundum Naturam pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit conſervandis, aut juvandis, maximos labores, moleſtiáſque ſuſcipere, imitantem Herculem (quem Hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cœleſtium collocavit) quam vivere in ſolitudine ſine ullis moleſtiis, ſed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut excellat etiam pulchritudine, & Viribus, Quocirca optimo quiſq; ſplendiſſimóque ingenio longe illam vitam huic anteponit, Ex quo efficitur hominem Naturæ obedientem, homini nocere non poſſe.

Detrahere alteri ſui commodi cauſa magis eſt contra Naturam, quam Mors, quam Dolor, quam cætera generis ejuſdem. *Ibid.*

Unum debet eſſe omnibus propoſitum, ut eadem ſit Utilitas uniuſcujúſque, & univerſorum, quam ſi ad ſe quiſque rapiat, diſſolvetur omnis humana conſociatio. *Eod.*

Illud quidem abſurdum eſt, quod quidam dicunt, Parenti ſe aut fratri, nihil detracturos, commodi ſui cauſa, ſed aliam eſſe Rationem Civium reliquorum, Hi ſibi nihil juris, & nullam ſocietatem; communis utilitatis cauſa, ſtatuunt eſſe cum Civibus, quæ ſententia omnem ſocietatem diſtrahit Civitatis. Qui autem Civium dicunt rationem eſſe habendam, Externorum negant, hi dirimunt communem humani generis ſocietatem, Quam qui tollunt, etiam adverſus Deos immortales impii judicandi ſunt, ab iis enim *Eod.*

enim constitutam inter homines Societatem evertunt.

CAP. IV.

De Voluntate & De Affectibus.

VOluntas, est facultas Animæ rationalis, sponte id quod Bonum est appetendi, & id quod malum est fugiendi, Affectus sunt facultates Animæ sensitivæ quibus Voluntas ad appetendum, vel fugiendum, vel agendum aliquid excitatur, & versantur præcipuè vel circa Bonum futurum, ut Desiderium, vel circa Bonum præsens, ut Gaudium, vel circa Malum futurum, ut Metus, vel Malum præsens ut Dolor.

Voluntati adversantur Vis, qua quis contra voluntatem cogitur, & Casus quo quid præter voluntatem contingit.

Affectibus adversantur Passiones, sive Perturbationes, quibus Voluntas contra Rationem excitatur, & ad appetendum, vel fugiendum, vel agendum aliquid impellitur.

Tuscul. quæst. 4. Voluntas, est quę quid cum Ratione desiderat; quæ autem aversa est à Ratione, Libido est, vel Cupiditas effrænata, quæ in omnibus stultis invenitur, Cum Ratione Animus placide movetur, atque constanter, illud Gaudium dicitur, Cum immaniter, & effusè Animus exultat, tum illa Lætitia gestiens, vel nimia dici potest, Quoque modo Bona Naturâ appetimus sic à Malis, Naturâ declinamus. Quæ Decli-

Declinatio ſi cum Ratione fiat, Cautio appellatur, eaque intelligitur in ſolo Sapiente eſſe, quæ autem ſine Ratione & cum exanimatione humili atque fracta nominatur Metus, eſt igitur Metus Rationi adverſa Cautio, Præſentis autem Mali, Sapientis Affectio nulla eſt, (aut ſaltem Patientia) Stulti autem eſt ea Ægritudo, quâ afficiuntur in Malis opinatis, animóſque demittunt, & contrahunt, Rationi non obtemperantes.

Peripatetici Perturbationes, quas nos (Stoici, ſcil:) extirpandas putamus, non modo Naturales eſſe dicunt, ſed etiam utiliter à Natura datas. Iracundiam cotem eſſe Fortitudinis dicunt, Nihil quenquam niſi quod libeat præclare facere poſſe, Impunitatem peccatorum datam iis videri, qui, & Ignominiam, & infamiam ferunt ſine dolore, Metum ſiquis ſuſtuliſſet, omnem vitæ diligentiam ſublatam fore, quæ ſumma eſſet in iis qui Leges, qui Magiſtratus, qui paupertatem qui, Ignominiam, qui mortem, qui dolorem timerent; Hæc tamen ita diſputant, ut reſecandas eſſe fateantur, evelli penitus dicunt nec poſſe, nec opus eſſe, ut in omnibus fere rebus, Mediocritatem eſſe optimam exiſtiment. *Tuſc. cul. 4.*

Efficiendum eſt, ut Appetitus Rationi obediant, Eámque neque præcurrant, nec propter Pigritiam, aut ignaviam deſerant, ſintque tranquilli, atque omni perturbatione careant, ex quo elucebit, omnis Conſtantia, omniſque moderatio, Nam qui Appetitus longius *Offic. 1.*

gius evagantur, et tanquam exultantes, sive Cupiendo, sive fugiendo, non satis à Ratione retinentur, Hi sine dubio finem, et modum transeunt, Relinquunt enim et abjiciunt Obedientiam, nec Rationi parent, cui Naturæ Lege subjecti sunt.

Tusc. quæst. 3. et 4. Causa omnium Perturbationum est in Opinione, Perturbationum sunt genera quatuor, partibus, plures, Nam cum omnis Perturbatio sit animi motus vel Rationis expers, vel Rationem aspernans, vel Rationi non obediens, Isque motus aut Boni aut Mali Opinione excitetur, bifariam quatuor Perturbationes distributæ sunt, Nam duæ sunt ex Opinione Boni, quarum altera, vel Cupiditas, vel Libido rectè dici potest, quæ est immoderata Appetitio Opinati magni Boni, Rationi non obtemperans, altera Voluptas gestiens, id est, præter modum elata lætitia Opinione magni præsentis alicujus Boni, et Ægritudo Malorum Opinione, turbantur, Nameſt Metus Opinio magni mali impendentis, et Ægritudo est Opinio magni Mali præsentis, et quidem recens Opinio talis Mali, ut eo rectum videatur angi id est, ut is qui dolet opinetur oportere se dolere.

Tusc. quæst. 4. Singulis Perturbationibus, partes ejusdem generis, plures subjiciuntur, utpote Libidini, Ira, Excandescentia, Odium, Desidium, et Lætitiæ, Malevolentia lætans malo alieno; delectatio, Jactatio

ctatio &c. Metui ſubjecta ſunt Pigritia, Pudor, Pavor, Formido, Conturbatio, Exanimatio &c. Ægritudini Invidentia, Miſericordia, Angor, Mæror, Ærumna, Sollicitudo, Deſperatio, quæ ſingulæ ibidem definiuntur.

Perturbationibus, quas in vita hominum Stultitia, quaſi quaſdam furias immittit, atque concitat, omnibus viribus atque opibus repugnandum eſt, ſi volumus hoc quod datum eſt vitæ, tranquillè placedéque traducere. *Tuſcul. quæſt. 3.*

Eos ſanos intelligi neceſſe eſt quorum mens, nullo motu, quaſi morbo perturbata eſt, qui contra affecti ſunt hos inſanos appellere licet. *Eod.*

Quemadmodum Oculus conturbatus, non eſt probe affectus ad ſuum munus fungendum; & reliquæ partes, totumve corpus à ſtatu cum eſt motum, deeſt officio ſuo & muneri, ſic conturbatus animus non eſt aptus ad exequendum munus ſuum, Munus autem Animi eſt Ratione bene uti. *Eod.*

CAP.

CAP. V.

De Actionibus Moralibus & de Officiis.

ACtiones Morales, ſunt Operationes externæ ex Voluntate, et affectibus moderatis, procedentes, quas cuique pro arbitrio præſtare licet.

Officia ſunt Actiones Honeſtæ, quas ſecundum Rationem, quiſque ſui, et aliorum cauſa præſtare debet.

Actionibus moralibus adverſantur, Operationes à Perturbationibus excitatæ, Illicitæ et culpabiles.

Officiis adverſantur Actiones, in quibus aut ſui, aut aliorum Ratio non habetur, Turpes, et contra Bonos mores.

De finibus, 5. Hoc quidem apparet, Nos ad Agendum eſſe natos, Actionum autem genera plura ſunt, ut obſcurentur etiam minora, à majoribus. Maximæ autem ſunt, Conſideratio, cognitióque rerum cœleſtium, et earum quas à Natura occultatas, et latentes, Ratio indagare poteſt, Deinde Rerum-pub. Adminiſtratio, aut Adminiſtrandi, ſciendíque prudens, juſta, temperans, et fortis ratio, Reliquæque actiones virtutibus congruentes, quæ uno verbo complexi Honeſta dicimus, ad quorum cognitionem, et uſum, jam corroborati, Natura præeunte deducimur.

In

In omni Actione ſuſcipienda, tria ſunt tenenda; Primum, ut Appetitus Rationi pareat, quâ nihil eſt ad officia conſervanda accomodatius, deinde ut advertatur, quanta illa res ſit, quam efficere volumus, ut neque maior, neque minor cura, & opera ſuſcipiatur quam cauſa poſtulat; Tertium eſt, ut caveamus, ut ea quæ pertinent ad liberalem ſpeciem & dignitatem, moderata ſint, Horum autẽ trium præſtantiſſimum eſt Appetitum Rationi obtemperare. *Offic. 1.*

Illud intelligendum, Appetitus omnes contrahendos, ſedandoſque, excitandamque eſſe Animadverſionem, & Diligentiam, ut ne quid temerè, aut fortuitò, inconſideratè, negligenterq; agamus. *Eod.*

Omnis actio vacare debet temeritate, & negligentiâ, nec verò quis agere quicquam, cuius non poſſit cauſam probabilem reddere, Hæc eſt enim ferè deſcriptio Officii. *Eod.*

Id licere dicimus quod cuique conceditur, Itemque quod Legibus, quod more maiorum, inſtitutiſque conceditur, Neque enim quod quiſque poteſt, id ei licet, nec ſi non obſtatur propterea etiam permittitur. *Tuſcul. 5.*

Eſt aliquid quod non oportet, etiamſi licet, quicquid verò non licet, certè non oportet. *Pro Balbo.*

Honeſtum intelligimus, quod tale eſt ut detractâ omni utilitate, ſine ullis præmiis, fructibuſque, per ſeipſum laudari poſſit. *De Finibus. 2.*

Non ſolum Jus, & iniuria à Natura diiudicantur, ſed omnino omnia Honeſta, & turpia, *De Legibus. 1.*

pia, Nam & communis Intelligentia res notas efficit, eas quæ in animis noſtris inchoavit, ut Honeſta in virtute ponantur, In Vitiis turpia, Hæc autem in Opinione exiſtimari, non in Natura poſita dementis eſt, Nam cum bonum & malum Natura judicetur, & ea ſint Principia Naturæ, certè Honeſta, & turpia ſim li quoque ratione dijudicanda, & ad Naturam referenda ſunt.

De Invent. 1. Inter Officium, & finem hoc intereſt, quod in Officio quid fieri, in Fine quid Officio conveniat, conſideratur, ut Medici Officium dicimus, curare ad ſanandum appoſite, Finem ſanare curatione, Ita Oratoris id quod facere debet, Officium, illud cujus cauſa facere debet, Finem appellamus.

Offic. 1. Cùm multa ſint in Philoſophia, & gravia, & utilia accurate, copioſèque à Philoſophis diſputata, latiſſimè patere videntur Ea quæ de Officiis ab illis tradita, & præcepta ſunt, Nulla enim vitæ pars, neque privatis, neque publicis, neque domeſticis, neque forenſibus in rebus,, neque ſi tecum agas, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt, in eoque excolendo ſita eſt vitæ Honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo.

Offic. 1. Omnis de officio duplex eſt queſtio, unum genus quod pertinet ad finem bonorum, alterum quod poſitum eſt in præceptis, quibus in omnes partes uſus vitæ confirmari poſſit.

Ibid. Alia etiam eſt Officii Diviſio, Nam & quoddam Medium officium dicitur, & quoddam

dam perfectum, Perfectum autem officium Rectum vocemus, quod Græci κατόρθωμα hoc autem commune quod ii καθῆκον vocant, Atque ea sic definiunt, ut Rectum quod sit, id perfectum Officium esse definiant. Medium autem Officium idem dicunt, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit.

Officia quæ Stoici Media appellant, ea Cõmunia sunt, & late patent, quæ & Ingenii bonitate multi assequuntur, & progressione dicendi, Illud autem officium quod Rectum, iidem appellant perfectum, atque absolutum est, nec cadere in quenquam præter sapientem potest. Cum autem aliquid actum est in quo Media Officia compareant, id cumulatè videtur esse perfectum, propterea quod vulgus, quid absit à perfecto, non fere intelligit, nihil putat prætermissum. Officia igitur (de quibus Cicero disserit) quasi secunda quædam honesta dicunt esse, non sapientum modo propria sed cum hominum genere communia, quibus omnes in quibus est virtutis indoles commoventur, Nec vero cum Fabritius aut Aristides justi nominantur, tanquam à Sapientibus petitur exemplum: Nemo enim horum sic sapiens est ut Sapientem intelligi Stoici volunt, Ne illi quidem septem, sed ex mediorum officiorum frequentia, similitudinem quandam gerebant, speciémque Sapientiæ, Támque id Honestum quod in nostram intelligentiam cadit, tuendum conservandúmque est nobis, quam id quod propriè dicitur, veréque est honestum Sapientibus.

Offic. 5. De finibus 5.

PART. II.

CAP. I.

De Virtute.

VIrtus est constans Animi affectio secundum Rationem agendi, vel Mediocritatem inter Parum & Nimium, in Affectibus, & Rationibus observandi.

Virtuti opponitur vitium, quod secundum Affectus depravatos, inclinat ad defectum, & Excessum in Actionibus admittendum.

Virtutis quatuor sunt Species, Prudentia quæ Intellectum Practicum; Justitia quæ voluntatem regit, Temperantia, quæ Affectus circa Bonum, & Fortitudo, quæ Affectus circa Malum moderatur.

De Legib. 1. Virtus, est nihil aliud, quam in se perfecta, & ad summum perducta Natura.

De Invent. 2. Virtus est Animi Habitus, Naturæ modo, Rationi consentaneus.

Tuscul. 4. Virtus, est Affectio Animi constans, conveniénsq; laudabiléque efficiens eos, in quibus inest, & per se, sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis, ex qua proficiscuntur Honestæ Sententiæ, Voluntates, Actiones, omnisque recta Ratio, quanquam ipsa Virtus, rectissimè recta Ratio dici poterit.

Offic. 2. Virtutis est cohibere motus Animi turbatos, Appe-

Appetitionéſque Rationi obedientes efficere.

Is, quiſquis eſt, qui Moderatione, & conſtantia, quietus animo eſt, ſibi ipſi placatus, ut neque ſitienter quid appetens, ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat, neque timore frangatur, neque tabeſcat moleſtiis. Is eſt Sapiens, is eſt beatus, cui nihil humanarum rerum, aut nimis lætabile, ad efferendum, aut intolerabile, ad demittendum animum videri poteſt.

De finibus 5.

Age nunc, extrue animo Altitudinem, excellentiámque Virtutum, jam non dubitabis, quin earum compotes Homines, magno animo erectóque viventes, ſemper ſint beati, qui omnes motus fortunæ, mutationéſque temporum leves, & imbecilles fore intelligant, ſi in virturis certamen venirent.

De Orat. 1. *Tuſc.* 2.

Virtus eſt ſemper, & ſola libera, quæ etiamſi corpora capta ſint armis, & conſtricta vinculis, tamen jus ſuum, atque omnium rerum impunitam libertatem tenet.

Nullum Theatrum virtuti, Conſcientia majus eſt.

Offic. 1. *Pro Mur.*

Virtutis Laus omnis in Actione conſiſtit.

Virtutes omnes Mediocritate quadam moderatæ ſunt.

De Legibus 1. *De finibus* 5.

Non eſt quiſquam gentis alicujus, qui Ducem Naturam nactus, ad Virtutem pervenire non poſſit.

Ineſt in omni Virtute, cura quædm, quaſi foras ſpectans alióſque appetens & complectens, unde eſt ut fratres propinqui,

Affines, Amici, ut Cives, ut omnes denique. (quando unam Societatem Hominum esse volumus) propter se sint expetendi.

De Amicitia. Virtus & conciliat Amicitias, & conservat, In ea est enim & Convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea Constantia, quæ cum se extulit, & ostendit lumen suum, & idem aspexit, agnovitque, in alio, ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est, ex quo eorum exardescit, sive Amor sive Amicitia.

De finibus. 5. Virtutes ita copulatæ, connexæque sunt, ut omnes omnium participes sint, nec ab alia alia separari potest, tamen proprium suum cujúsque munus est, ut Prudentia in Delectu bonorum, & malorum, Justitia in suum cuique tribuendo, Temperantia in prætermittendis Voluptatibus, Fortitudo in laboribus periculisque cernatur.

Tusc. 4. Virtuti contraria est vitiositas, ex quâ concitantur perturbationes, turbidi animorum, concitatique motus aversi à Ratione, & inimicissimi mentis vitæque tranquillæ.

CAP. II.

De Prudentia.

PRudentia est Virtus intellectus Practici Bona à Malis, & majora à minoribus distinguens, & Virtutes alias in accomodatione Mediocritatis ad Circumstantias Perso-

Perſonarum, Loci & Temporis dirigens.

Prudentiæ opponitur in defectu Imprudentia, quæ inter Bona & mala neſcit diſtinguere, ne dum Opportunitates, rerum agendarum intelligit in acceſſu Verſutia, & Calliditas quæ ſub ſpecie Boni pravum finem propoſitum habet, vel ad bonum finem pravis mediis utitur.

Prudentia eſt rerum expetendarum, fugiendarúmque ſcientia. *Offic. 2.*

Prudentia eſt rerum bonarum, & malarum utrarúmque ſcientia, Partes ejus ſunt Memoria, Intelligentia, Providentia, Memoria: eſt per quam Animus repetit illa quæ fuerunt, Intelligentia, per quam ea perſpicit, quæ ſunt, Providentia, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum ſit. *De Inv. 2.*

Prudentia eſt ſcientia opportunitatis idoneorum temporum. *Offic. 2.*

Prudentia eſt Ars vivendi, ut Medicina Valetudinis, Navigationis Gubernatio, Conſtat autem inter omnes, id in quo Prudentia verſatur, aptum, & accommodatum Naturæ eſſe oportere. *De finibus 5.*

In perſpicientia veri, ſolertiáque in qua Sapientiam & Prudentiam ponimus, ineſt indagatio, atque inventio veri, cujuſque virtutis hoc munus eſt proprium, ut enim quiſque maxime perſpicit, quid in re quáque veriſſimum ſit, quique acutiſſime, & celerimè poteſt videre, & explicare rationem, Is ſapientiſſimus ritè haber ſolet. *Offic. 1.*

Eod. Ingenii magni est, percipere cogitatione futura, & aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utrámque partem, & quid agendum sit, cum quid evenerit; nec committere aliquid, ut aliquando dicendum sit, non putáram.

Offic. 2. His fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos arbitramur, quosque et futura prospicere credimus, et cum res agatur, in discrimenque ventum sit, ex tempore consilium capere, et rem expedire posse: Hanc enim utilem Homines existimant, verámque prudentiam.

Tusc. 3. Prudentia, (sine qua ne intelligi quidem ulla virtus potest) non patietur quenquam quicquam facere nihil proficientem, & laborantem.

Epist. 9. Philosophis placuit, iis qui soli videntur vim virtutis tenere, nihil esse sapientis præstare, nisi culpam.

Epist. 16. Ad Atticum. 14. 18. In novis amicitiis cautionem, & diligentiam adhibendam, mihi vafer ille Siculus Epicharmus cantilenam illam suam insusurat, Νωδὶ καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν, ἄρθρα γὰρ ταῦτα τῆς φρενῶν.

Epicharmeum illud teneo, Nervos atque artus esse sapientiæ, non temerè credere.

De Petition. Consulat. In genere Cognitionis Naturali, & Honesto, duo vitia vitanda sunt, unum ne incognita pro cognitis habeamus, iisque temerè assentiamur; Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res, & tempus & diligentiam. Alterum est

Vitium

Vitium quod quidam nimis magnũ ſtudium, multámque operam in res obſcuras, atque difficiles conferunt, eaſdémque non neceſſarias: Quibus vitiis declinatis, quid in rebus Honeſtis, & cognitione dignis, operæ, curæque ponetur, id jure laudabitur.

Præclare Plato, Scientia, inquit, quæ eſt remota à Juſtitia, Calliditas potius, quam Sapientia eſt appellanda. *Ead.*

Quo quis verſutior, & callidior, eſt hoc inviſior, & ſuſpectior, detractâ opinione probitatis.

Hæc eſt Prudentia in genere, cujus etiam eſt de iis quæ in deliberationem cadunt ſtatuere: Et cum inprimis conſtituendum ſit, in quo nos genere vitæ eſſe velimus, hæc deliberatio eſt omnium difficillima, Ineunte autem Adoleſcentia, cui ineſt maxime imbecillitas conſilii, tunc id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituit, quod maximè adamavit; Itaque ante implicatur aliquo certo genere, curſúque vivendi, quam potuit quod optimum eſſet judicare. Plerúmque autem Parentum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem, morémque deducuntur: Alii multitudinis judicio feruntur, quæque majori parti pulchertima videntur, ea maximè exoptant. *Offic. 1.*

In hâc autem deliberatione, ad ſuum cujúſque Naturam conſilium omne eſt revocandum, Ad hanc autem Rationem, quoniam maximam vim Natura habet, Fortuna proximam, utriúſq; ratio habenda eſt, in deligendo genere

vitæ, sed Naturæ magis, multo enim firmior est, & constantior. Quod si quis fortè se errâsse intellexerit, in diligendo vitæ genere, Morumque institutorumque mutatio est facienda. Eam mutationem, si tempora adjuvabunt, facilius commodiusq; faciemus, sin minus sensim erit, pedetentimq; facienda, ut Amicitias quæ minus delectent, & minus probentur, Sapientes magis decere censent, sensim dissuere, quam repentè præcidere; Commutato autem vitæ genere omni ratione curandum est, ut id bono consilio feciſſe videamur.

Offic. 1. Deinde quantum ad officia, quæ sub deliberatione cadunt, Triplex est, ut Panætio videtur, consilii capiendi ratio; Nam honestúmne factu sit, an Turpe Homines dubitant, id quod in deliberationem cadit, Tum inquirunt, aut consultant ad vitæ Commoditatem, jucunditatem, ad facultates rerum atque copias, ad Opes & potentiam, quibus se juvare, & suos possunt, conducat, id necne de quo deliberant? Tertium dubitandi genus est, cum pugnare videtur cum Honesto, id quod videtur utile, Qua divisione duo (ut Ciceroni videtur) prætermissa sunt, Nec enim solum Honestum, an turpe sit deliberari solet, sed etiam duobus propositis Honestis, utrum honestius, itemque duobus propositis utilibus, utrum sit utilius. Ita quam Panætius putavit triplicem esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur; Primum igitur est de Honesto sed dupliciter, tum pari

pari ratione, de utilitate, post de Comparatione eorum disquirendum.

CAP. 3.

De Justitia.

JUstitia est virtus, voluntatem ad Prudentiæ obsequium, & suum cuique tribuendum disponens.

Justitiæ opponitur in defectu Injustitia, ad pervertitatem disposita, nec sui, nec aliorum rationem habens, In excessu Scrupulositas, quæ summum jus respicit, vel de minimis plus justo est sollicita.

Justitia, est Habitus Animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem, Ejus Initium est à Natura profectum, Deinde quædam in Consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt; Postea res, & à Natura profectas, & à Consuetudine approbatas, Legum Metus, & Religio sanxit, Natura Jus est, quod non Opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, ut Religionem, Pietatem, Gratiam, Vindicationem, Observantiam, Religio est, quæ superioris cujusdam Naturæ, quam Divinam vocant, Curam, Ceremoniamque affert, Pietas per quam Patriæ, & sanguine conjunctis Officium, & diligens cultus tribuitur, Gratia, in qua Amicitiarum, & Officiorum

De Inven. 12.

ficiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur; Vindicatio eſt, per quam vis & injuria, & omnino omne quod obfuturum eſt, defendendo, aut ulciſcendo propulſatur; Obſervantia, eſt per quam Homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam, & honore dignantur; Veritas eſt per quam immutata, ea quæ ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt dicuntur. Conſuetudine jus eſt, aut quod leviter à Natura tractum aluit, & majus fecit uſus, ut Religionem, vel ſi quid eorum, quæ ante diximus, à Natura profectum, majus factum videmus, propter conſuetudinem, aut quod in morem vetuſtas, vulgi approbatione, produxit quod genus, Pactum, Par, Judicatum; Pactum eſt, quod inter aliquos convenit, Par, quod in omnibus æquabile eſt, Judicatum, de quo alicujus, aut aliquorum ſententiis jam conſtitutum eſt, Lege Jus eſt, quod in eo ſcripto, quod in populo expoſitum eſt, ut obſerver, continetur. Unde cum multa præclara majorum, tum quam optimè conſtituti Juris Civilis, ſummo ſemper in honore fuit Cognitio. Offic. 2.

Offic. 1. Inter Honeſti Rationes, latiſſimè patet, ea quâ Societas hominum inter ſeipſos, & vitæ quaſi communitas continetur, cujus prima pars eſt Juſtitia, in qua virtutis ſplendor eſt maximus, ex quo boni viri nominantur. Juſtitiæ primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſſitus injuriâ; Deinde ut communibus rebus utatur, ut communibus, privatis,

privatis, ut ſuis, quando ſuum cujuſque aliquod ſit eorum, quæ Naturâ fuerunt communia, Quod cuique obtigerit, id quiſque teneat, Eo ſiquis plus appetat, jus humanæ ſocietatis violat.

Iis qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendiſque negotiis implicantur, Juſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt. *Offic.* 2.

Juſtitiæ tanta vis eſt, ut nec illi quidem qui maleficio, & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula Juſtitiæ vivere. Nam qui eorum cuipiam qui una latrocinantur, clam furatur aliquid, aut eripit, is ſibi nec in Latrocinio quidem relinquit locum: Ille autem qui Archipirata dicitur, niſi æquabiliter prædam diſpertiat, aut occidetur à ſociis, aut relinquetur; Quin etiam Leges Latronum eſſe dicuntur, quibus pareant, quas obſervent. Cum igitur tanta vis Juſtitiæ ſit, ut ea etiam Latronum opes firmet, atque augeat, quantam eius vim inter Leges, Inſtituta reipub. & Judicia fore putemus. *Ibid.*

Judicis eſt ſemper in cauſis verum ſequi, Patroni vero nonnunquam, veriſimile, etiamſi minus ſit verum, defendere. *Eod.*

Fundamentum Juſtitiæ eſt Fides, id eſt Dictorum, conventorumque conſtantia & veritas. *Offic.* 1.

Incedunt ſæpe tempora, cum ea quæ maximè videntur digna eſſe iuſto hominum, commutantur, fiuntque contraria, ut reddere depoſitum, etiamne gladium furioſo? facere promiſſum, *Eod.*

missum ; quæque pertinent ad veritatem ; & ad Fidem , Ea interdum negare , & non ſervare ſit juſtum , Poteſt etiam accidere Promiſſum aliquod , & conventum , ut id effici ſit inutile , vel ei cui promiſſum ſit , vel ei qui promiſerit , Nec promiſſa igitur ſervanda ſunt , ea quæ iis , quibus promiſeris inutilia , nec ſi plus tibi noceant , quam illi proſint , Nec illis promiſſis ſtandum eſt , quæ quis coactus metu , quæ deceptus dolo promiſerit.

Eod. Bene præcipiunt qui vetant quicquam agere , quod dubitas , æquum ſit , an iniquam. Æquitas enim lucet ipſa per ſe , dubitatio cogitationem Injuriæ ſignificat.

Eod. Injuſtitiæ duo ſunt genera , unum eorum qui inferunt , alterum eorum , qui ab iis , quibus infertur , ſi poſſint , non propulſant injuriam. Nam qui injuſte impetum in quempiam facit , aut ira , aut aliqua perturbatione incitatus , Is quaſi manus videtur afferre ſocio , Qui vero non defendit , nec obſiſtit , ſi poteſt injuriæ , tam eſt in vitio , quam ſi Parentes , aut Patriam , aut Socios deſerat.

Eod. In omni Injuſtitia permultum intereſt , utrúmne perturbatione aliqua animi , quæ plerúmque brevis eſt , & ad tempus , an conſulto & cogitato , fiat injuria , Leviora enim ſunt quæ repen-

Eod. tino aliquo motu accidunt , quam ea quæ medi-

meditata, & præparata inferuntur. Exiſtunt etiam ſæpe Injuriæ, Calumniâ quadam, & nimis callida, ſed malitioſa Juris Interpretatione, ex quo Illud Summum jus ſumma injuria factum jam tritum ſermone proverbium.

CAP. IV.

De Temperantia.

TEmperantia eſt virtus, moderans Affectus circa bonum, utpote circa *Voluptates* Corporis, quoad Cibum, & potum, Abſtinentia, & Sobritas quoad, *Venerem*, Continentia, & Caſtitas, circa Divitias, Frugalitas, & Liberalitas, circa honores Modeſtia, & Æquanimitas.

Temperantiæ opponitur Intemperantia, veluti circa voluptatem Corporis In defectu, Gula, Ebrietas Libido, In Exceſſu, Sui ex fame, & ſiti Maceratio, & perverſum Cœlibatus ſtudium, circa Opes, & Divitias In defectu Avaritia, & Prodigalitas, In exceſſu Rerum neceſſariarum Incuria, et Tenacitas, circa Honores In defectu Ambitio, et Superbia, In exceſſu Puſillanimitas, et Famæ neglectus.

Temperantia, eſt Rationis in libidinem, atque

atque in alios non rectos Animi impetus, firma & moderata. Dominatio Ejus partes sunt, Continentia, Clementia, Modestia: Continentia, est per quam Cupiditas Consilii gubernatione regitur; Clementia per quam Animi temere in odium alicujus inferioris concitati, comitate retinetur, Modestia per quam Pudor honestus, claram, & stabilem authoritatem comparat.

De Invent. lib. 2.

Partitiones Oratoriæ.

Temperantia duobus modis in rebus commodis discernitur, & quæ absunt non expetendo, & in iis quæ in potestate sunt abstinendo.

De Corporis Voluptatibus.

Offic. 1.

Si sit quispiam qui aliquid tribuat Voluptati, diligenter ei tenendus est modus ejus fruendæ, Itaque Victus cultúsque Corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem. Atque si considerare velimus quæ sit in Natura Excellentia, & Dignitas, intelligemus, quam sit turpe diffluere Luxuria, ac delicatè ac molliter vivere, quámque honestum, parcè, continenter, severè, sobriè.

De Senectute.

Architas Tarentinus Nullam Capitaliorem pestem quam Corporis voluptatem dicebat à Natura datam, cujus voluptatis avidæ Libidines temerè & effrænatè ad potiundum incitarentur. Hinc Patriæ proditiones, hinc Rerum-pub. eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci dicebat, nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret,

pelleret, ſtupra verò Adulteria, et omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari niſi voluptate, Cum Homini ſive natura, ſive Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic divino muneri ac dono, nihil tam eſſe inimicum quam voluptatem: Nec enim Libidine dominante temperantiæ locum eſſe omnino, nec in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere.

Bene Sophocles, cum quidam ex eo jam confecta ætate quæreret, uterentúrne rebus Veneris; Dii meliora inquit; libenter verò iſtinc, tanquam à Domino agreſti, ac furioſo profugi; Cupidis enim rerum talium, moleſtum eſt fortaſſis carere, ſatiatis vero, & expletis jucundius eſt carere, quam frui &c. *Eod.*

De Divitiis.

Nihil eſt tam anguſti animi, támque parvi, quam amare Divitias, Nihil honeſtius, magnificentiúſque, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas, ſi habeas ad Beneficentiam, Liberalitatémque conferre. *Offic. 1.*

Rei familiaris Amplificatio nemini nocens, non eſt vituperanda, ſed fugienda ſemper eſt Injuria. *Eod.*

Res familiaris bene parta ſit, nullo neque turpi quæſtu neque odioſo, tum quam plurimis, modo dignis ſe utilem præbeat, deinde augeatur ratione, diligentia, parſimonia, nec Libidini potius, Luxuriæque, quam Liberalitati Beneficentiæque pateat. *Eod.*

Habenda ratio eſt rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere, flagitioſum eſt, ſed ita ut *Offic. 2.*

illibe-

Illiberalitatis Avaritiæque abſit ſuſpitio, Poſſe enim Liberalitate uti, non ſpoliantem ſe Patrimonio, nimirum eſt Pecuniæ fructus maximus.

Offic. 1. Beneficentia, & Liberalitate nihil eſt Naturæ hominis accommodatius, ſed habet multas cautiones, Videndum eſt enim primum Ne Benignitas obſit, & iis, quibus benigne fieri videbitur & cæteris, Nam qui gratificantur cuipiam quod obſit illi, Non Benefici, neque Liberales, ſed pernitioſi Aſſentatores judicandi ſunt, & qui aliis nocent, ut in alios Liberales ſint, in eadem ſunt injuſtitia, ut ſi ipſi in ſuam rem, alienam convertant.

ibid. Deinde ne major benigitas ſit, quam facultates, Nam qui benignio es eſſe volunt, quam res patitur in eo peccant, quod injurioſi ſunt in proximos, Ineſt etiam in tali Liberalitate Cupiditas plerúmque rapiendi, & auferendi per injuriam, ut ad largiendum ſuppetant copiæ.

ibid. Tertium eſt, ut pro Dignitate cuique tribuatur, Id enim eſt Juſtitiæ fundamentum, In delectu vero, & mores ejus, ſunt ſpectandi, in quem Beneficium confertur, & Animus erga Nos. Nullum enim Officium referenda gratia magis eſt neceſſarium, Nam cum duo genera Liberalitatis ſunt, unum dandi beneficium, alterum reddendi, Dimus nec ne, in noſtra poteſtate eſt,

Non

Non reddere, bono viro non licet, modo id facere possit sine injuria.

In collocando beneficio, & reddenda gratia, si cætera sint paria; hoc maximè Officii est, ut quisque maximè opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. *ibid.*

Nec ita claudenda est Res familiaris, ut eam Benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut omnibus pateat, Modus adhibeatur, isque ad facultates referatur. *Offic.* 2.

De Honoribus & rebus prosperis.

Rectè præcipere videntur, qui monent, ut quanto superiores sumus, tanto nos submissius geramus. *Offic.* 1.

In rebus prosperis, atque ad voluntatem fluentibus, Superbia fastidium, arrogantiáque magnopere fugienda, Nam ut adversas res, sic secundas immoderatè ferre Levitatis est, Prælaráque est æquabilitas, in omni vita, et idem semper vultus, eadémque frons. *ibid.*

Affricanus solebat dicere, sicut Equi propter crebras contentiones præliorum, ferocitate exultantes domitoribus tradi soleant, ut his facilioribus uti possint, sic homines secundis rebus effrænatos, sibique præfidentes tanquam in gyrum Rationis dari oportere, ut prospiciant rerum humanarum imbecillitatem, vanitatémque fortunæ, &c. *ibid.*

Optimam Naturam nobis invidisse videntur, qui nihil melius Homini, nihil magis expetẽdũ, nihil præstantius honoribus, imperiis, populari gloria iudicaverunt, Est enim glora solida *Tuscul.* 3.

res

res, & expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox, bene judicantium de excellenti virtute, Ea virtuti, tanquam imago voci resonat, Quæ quia rectè factorum plerúmque comes est, non est à bonis viris repudianda, Illa autem, quæ se ejus imitatricem esse vult, temeraria, atque inconsiderata, est plerúmque peccatorum, vitiorúmque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis, formam ejus pulchritudinémque corrumpens, quâ cæcitate homines, cum quædam præclara cuperent, atque nescirent, nec ubi, nec qualia essent, suas Civitates funditùs everterunt.

CAP. V.

De fortitudine.

FOrtitudo est virtus moderans Affectus, circa Malum, utpotè circa Malum Corporis Patientia, circa Malum Fortunæ Tolerantia, circa Malum Existimationis (Contemptum scil. ex quo Indignatio) Mansuetudo; Fortitudini opponitur, circa malum Corporis, In defectu Impatientia, In excessu Stupor; circa Malum fortunæ, In defectu Ignavia, In excessu Audacia; circa malum Existimationis, In defectu Ferocitas, In excessu Lenitudo.

De Inventa

Fortitudo, est considerata Periculorum susceptio,

ceptio, & Laborum perpessio, Ejus partes Magnificentia, Fidentia, Patientia, Perseverantia: Magnificentia, est rerum magnarum, & excelsarum, cum Animi amplâ quâdam & splendidâ propositione, agitatio, atque administratio; Fidentia, est per quam magnis & honestis in rebus multum ipse Animus in se fiduciæ, cum spe certa collocavit; Patientia est Honestatis, aut utilitatis causa, rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio; Perseverantia est in Ratione benè considerata, stabilis & perpetua permansio.

Partitio ratione.

Virtus, in rebus incommodis, duobus etiam modis discernitur, Nam quæ venientibus malis obstat Fortitudo, quæ vero ea quæ adsunt tolerat, & perfert Patientia nominatur.

Fortitudo, est Animi Affectio æternæ Legi in perpetiendis rebus obtemperans, & stabilis conservatio Judicii in rebus, quæ Formidolosæ videntur, subeundis & repellendis.

Tusc. 4. 5.

Offic. 1.

Fortis Animus, & magnus, omnino duabus rebus maximè cernitur, quarum una in rerum externarum Despicientia ponitur, cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod Honestum Decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere, nullique neque Homini, neque perturbationi Animi, nec Fortunæ succumbere: Altera est res, ut ita sis affectus animo, ut res geras magnas quidem, & maximè utiles, sed vehementer arduas, plenasque laborum, & periculorum, cum vitæ, tum multarum rerum, quæ ad vitam pertinent.

Ea

ibid. Ea quæ eximia pleriſque, & præclara videntur parva ducere, eaque ratione ſtabili, firmaque contemnere, fortis animi, magniquè dicendum eſt, & ea quæ acerba, (quæ multa, & varia in hominum vita fortunaque verſantur) ita ferre, ut Nihil à Naturæ ſtatu diſcedas, nihil à dignitate Sapientis, hoc robuſti animi eſt, magnique conſtantia.

Eod. Fortis animi, & conſtantis eſt, non turbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur, ſed præſentis animi uti conſilio, nec à Ratione diſcedere.

Eod. Nunquam omnino, periculi fugâ, committendum eſt, ut imbecilles, timidique videamur, ſed fugiendum eſt, ne offeramus nos periculis ſine cauſa, quo nihil poteſt eſſe ſtultius, Quapropter in adeundis periculis, Conſuetudo imitanda eſt Medicorum, qui leviter ægrotantes leviter curant, gravioribus autem morbis periculoſas curationes, et ancipites adhibere coguntur.

Eod. Ea animi Elatio quæ cernitur in periculis, et laboribus, ſi juſtitia vacat, pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt, Non enim modò id virtutis non eſt, ſed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaque probè definitur à Stoicis Fortitudo, cum eam virtutem eſſe dicunt, propugnantem pro æquitate, Itaque Animus paratus ad periculum, ſi ſua Cupiditate, non utilitate communi impellitur, Audacia potius nomen habeat, quã Fortitudinis.

Vera,

Vera, & ſapiens Animi magnitudo, Honeſtum illud, quod maximè Natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria judicat, Principemque ſe eſſe mavult, quam videri, Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris habendus non eſt. *Eod.*

Fortes non modo fortuna adjuvat, ut eſt in vetere proverbio, ſed multo magis ratio, quæ quibuſdam quaſi præceptis confirmat vim Fortitudinis. *Tuſcul. 2.*

Nihil dolere; non ſine magna mercede contingit immanitatis in animo, ſtuporis in corpore. *Tuſcul. 3.*

De Ægritudine, ſivè Dolore Animi. *Tuſcul. 3.*

Cum omnis perturbatio miſeria eſt, tum carnificina eſt Ægritudo, habet ardorem Libido, Levitatem Lætitia geſtiens, humilitatem Metus, ſed Ægritudo majora quædam. Tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem, lacerat, exeſt animum, planèque conficit, Hanc niſi exuimus ut abjiciamus, miſeria carere non poſſumus.

Nihil eſt, quod tam obtundat, elevetque ægritudinem, quàm perpetua in omni vita cogitatio, nihil eſſe quod non accidere poſſit, quàm meditatio conditionis humanæ, quàm Vitæ Lex, commentatioque parendi, quæ non hoc affert, ut ſemper mœreamus, ſed ut nunquam, Neque enim qui rerum naturam, qui vitæ varietatem, qui imbecillitatem humani generis cogitat, mœret, cum hæc cogitat, ſed tum vel maximè ſapientiæ *Tuſcul. 3.*

entiæ fungitur munere, & consequitur, ut in adversis rebus Triplici consolatione sanetur; Primum quod posse accidere diu cogitaverit, quæ cogitatio una maximè molestias omnes extenuat, & diluit. Deinde quod humana ferenda intelligit, Postremo quod videt nullum malum esse nisi culpam, Culpam autem nullam esse, cum id quod ab homine non potuerit præstari, evenerit. Si id evenit quod nobis propositum fuit accidere posse, non debemus ita cadere animis quasi aliquid evenerit, quod fieri posse nunquam putaverimus. Simus igitur ea mente quam Ratio, & veritas præscribit, ut nihil in vita nobis præstandum præter culpam putemus, eaque cum careamus, omnia humana placatè, & moderatè feramus.

Epistola ad Torquatū. 6.

Omnia subita majora videntur, & quidem ob duas causas, primum quod quanta sint quæ accidunt, considerandi spatium non datur, deinde cùm videtur præcaveri potuisse, si provisum esset, quasi culpa contractum malum, ægritudinem acriorem facit, quod ita esse Dies declarat, quæ procedens, ita mitigat, ut iisdem malis manentibus, non modo leniatur ægritudo, sed in plerisque tollatur.

Eod. Tuscul. 3

Sensim & pedetentim progrediens extenuatur Dolor, non quo ipsa res immutari soleat, aut possit, sed id quod Ratio debuerat, usus docet, minora esse ea, quæ sunt visa majora.

Eod.

Idem videtur iis accidere, qui ante meditantur, quod iis quibus medetur Dies, nisi quod Ratio quædā senat illos, hos ipsa Natu-

Eod.

ra,

ra, intellecto eo, quod remedium illud continet, malum quod opinatum sit esse maximum, nequaquam esse tantum, ut vitam beatam possit evertere.

Eorum, qui gravius ferunt, luctus, aliorum exemplis leniuntur, sic perpessio cæterorum facit, ut ea quæ acciderint, multo minora quam quanta sint, existimata, videantur. *Eod.*

Quid est quod plus valeat ad ponendum dolorem, quam cum est intellectum nihil proficere, & frustra esse susceptum: Si igitur deponi potest, etiam non suscipi potest, voluntate igitur, & judicio suscipi ægritudinem constendum est, idque indicatur eorum patientia, qui cum multa sint sæpius perpessi, facilius ferunt, quicquid accidit, obduruisseque se, contra fortunam, obtrantur. *Eod.*

Nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius Placabilitate, Clementia, & ita tamen probanda est Mansuetudo, atque Clementia, ut Reipub. causa severitas adhibeatur. *Offic. 1.*

De Dolore Corporis.

Interest aliquid inter Laborem & Dolorem, sunt finitima omnino, sed tamen differunt aliquid, Labor est functio quædam vel Animi, vel Corporis gravioris operis, & muneris: Dolor autem est motus asper in corpore, sensibus alienus. *Tusc. 2.*

Inter omnes hoc constat, nec doctos homines solum, sed etiam indoctos, virorum esse fortium, & magnanimorum, & patientium,

&

& humana vincentium, toleranter Dolorem pati, nec verò quisquam fuit, qui eum qui ita pateretur, non laudandum putaret, Quod ergo & postulatur à fortibus, & laudatur cum fit, id aut extimescere veniens, aut non ferre præsens, turpe est.

Eod. Hæc cogitatio, quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine Animi dignum sit, non solum animum comprimit, sed ipsum etiam dolorem, nescio quo pacto, mitiorem facit, ut enim fit in prælio, ut ignavus miles, ac timidus, simul ac viderit hostem abjecto scuto fugit, quantum possit, ob eamque causam pereat nonnunquam, etiam integro corpore, cum ei qui steterit nihil tale evenerit, sic qui doloris speciem ferre non possunt, abjiciunt se, atque ita afflicti, & exanimati jacent, qui autem restiterunt, discedunt, sæpissimè superiores.

Eod. Hoc in Dolore maximè est providendum, ne quid abjectè, ne quid timidè, ne quid ignavè, ne quid serviliter, molliebriterve faciamus.

Ad ferendum dolorem placidè, & sedatè, plurimum proficit toto pectore, ut dicitur, cogitare, quam id honestum sit, sumus enim natura studiosissimi, appetentissimique honestatis, cujus si quasi lumen aliquod adspexerimus, nihil est, quod ut eo potiamur, non parati simus, & ferre, & perpeti.

De Malis Fortunæ. Paupertate, &c.

Paradoxo. Non æstimatione Census, verum victu atque cultu

culu terminatur pecuniæ modus, Non esse cupidum, pecunia est, non esse Emacem, vectigal est, contentum vero suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque divitiæ: Etenim si isti callidi rerum æstimatores, Prata et areas quasdam magno æstiment, quod ei generi possessionum, minimè quasi noceri potest, Quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi nec surripi potest, quæ nec naufragio, neque incendio amittitur, nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur, quâ præditi qui sunt, soli sunt divites, soli enim possident res et fructuosas, et sempiternas, solique (quod est proprium divitiarum) contenti sunt rebus suis, satis esse putant, quod est, nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt, Improbi autem, atque avari quoniam incertas atque in casu positas possessiones habent, et plus semper appetunt, non modo non copiosi, ac divites, sed etiam inopes, et pauperes æstimandi sunt.

PARTIS III.

CAP. 1.

De Decori observatione.

DEcori Observatio est ei, quod in quaque re decet, ex quâ Gratia conciliatur, accomodatio, Eique adversatur, cum quod in re aliqua dedecet, et displicet, admittitur, Decorum

rum. 1. Personam. 2. Actionem, 3. Sermonem. 4. Gestum Corporis respicit.

De Oratore. In Vita nihil est difficilius, quam quid deceat videre, πρέπον appellant hoc Græci, nos dicamus sanè Decorum, de quo multa & præclara præcipiuntur, & est res cognitione dignissima: Hunc locum, longè patentem, Philosophi solent in Officiis tractare, cum de Recto disputant. Nam id quidem unum est, Hoc Decere, quod semper usurpamus, in omnibus factis & dictis, maximis & minimis, cum hoc inquam Decere, usque quaque quantum sit appareat, in alio ponatur, aliudque totum sit, Utrum Decere, an Oportere dicas, quasi aptum esse, & consentaneum Personæ, & Tempori, quod cum in factis sæpissimè, tum in dictis valet. In vultu denique & gestu, & incessu, contraque itidem dedecere, Quod si Poeta fugit, ut maximum vitium qui peccat, etiam cum probam Orationem affingit improbo, stultove sapientem: Si Pictor ille vidit, cum immolanda Iphigenia, tristis Chalcas esset, mæstior Ulysses, mœreret Menelaus, abvolvendum esse caput Agamemnonis, quoniam summum illum luctum, penicillo non posset imitari, Si denique Histrio quid deceat quærit, quid aliis faciendum putamus?

Offic. 1. Est quiddam quod deceat, quod cogitatione magis à virtute potest, quam re separari, & ut venustas, & pulchritudo secerni non potest à valetudine, sic hoc de quo loquimur Decorum totum quidem illud est cum virtute confusum,

fusum, sed mente, & cogitatione distinguitur.

Ut Pulchritudo Corporis, aptâ compositione membrorum movet oculos, & delectat, hoc ipso quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt, sic Decorum quod elucet in vita, movet approbationem eorum quibuscum vivitur, Ordine & Constantia, & moderatione factorum omnium, atque dictorum. *Eod.*

Ità Officia reperientur, cum quæretur, & quid deceat, & quid aptum sit, Personis, ætatibus, temporibus. *Eod.*

CAP. 2.

De Decoro Personæ.

DEcorum Personæ est, quod ejus Naturali Genio, & ingenio congruit, ex quo alii ad Facilitatem, & Comitatem, alii ad Gravitatem & Severitatem magis dilponuntur. *Offic.*

Intelligendum est, duabus quasi personis, Nos à natura indutos esse, quarum una est Communis, ex eo quod omnes participes sumus Rationis, præstantiæque ejus quâ bestias antecellimus, à quo omne Honestum, Decorumque trahitur: Altera persona est, quæ propriè singulis est attributa, ut in Corporibus magnæ dissimilitudines sunt, alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere; Item in formis aliis 1.

dignitatem ineſſe, in aliis venuſtatem, ſic & in Animis etiam exiſtunt majores varietates, Erat in L. Craſſo, & L. Philippo multu Lepos, in M. Scauro, & in M. Druſo adoleſcente ſingularis ſeveritas, in C. Lælio multa hilaritas, in ejus familiari Scipione ambitio major, vita triſtior. Callidum Hannibalem ex Pœnorum, ex noſtris ducibus L. Maximum accepimus, facilè celare, tacere, diſſimulare, inſidiari, præripere hoſtium conſilia, Sunt & his alii multum diſpares, ſimplices, & aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex inſidiis agendum putant, virtutis cultores, fraudis inimici. Itémque alii qui quidvis perpetiantur, cuívis deſerviant, dum quod velint conſequantur.

Eod. Et generale quoddam Decorum intelligimus quod in omni honeſtate verſatur, & aliud huic ſubjectum quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis, Atque illud ſuperius ſic definiri ſolet, Decorum id eſſe quod conſentaneum ſit Hominis excellentiæ, in eo in quo Natura ejus à reliquis animantibus differat, Quæ autem pars ſubjecta generi eſt, eam ſic definiunt, ut id Decorum eſſe velint, quod ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo moderatio, & temperantia appareat, cum ſpecie quadam Liberali.

Admodum tuenda ſunt cuique non vitioſa,
Eod. ſed tamen propria, quo facilius decorum retineatur, ſic enim faciendum eſt, ut contra Naturam univerſam nihil contendamus, Eâ tamen conſervatâ propriam naturam ſequamur,

ut

ut etiamsi sint alia graviora, atque meliora, tamen nos studia nostra Naturæ regula metiamur, Neque enim attinet repugnare Naturæ, nec quicquam sequi, quod assequi nequeas, ex quo emergit quale sit Decorum, Quia nihil decet invitâ, ut aiunt, Minervâ, id est, adversante & repugnante Natura.

Quæ contemplantes expendere oportet, quid quisque habet sui, eaque moderari, nec velle experiri, quam se aliena deceant, Id enim maximè unumquémque decet, quod est cujusque suum maximè.

Differentia naturarum tantam vim habet, ut quod nonnunquâ alium deceat, alium in eadem causa non deceat, Non enim in eadem causa M. Cato, alia cæteri, qui se in Africa Cæsari tradiderunt, Atqui cæteris forsitan vitio datum fuisset si se interemissent, propterea quod eorum vita Lenior, & mores fuerunt faciliores, Catoni autem, cum ei incredibilem tribuisset Natura gravitatem, eámque ipse perpetua constantia roborasset, moriendum potius, quam Tyranni vultus aspiciendus fuit. *Eod.*

CAP. III.

De Decoro Actionis.

DEcorum Actionis est in genere quod congruit Ordini, Loco & Tempori in Specie, quod conditioni Ætatis, dignitatis, gentis & aptum est, & consentaneum.

Offic. 1. Nihil eſt magis Decorum quam æquabilitas Univerſæ vitæ, tum ſingularum Actionum, ut enim eo ſermone uti debemus qui notus eſt nobis, ne ut quidam Græca verba inculcantes, jure optimo irridentur, ſic in Actiones, omnemque vitam nullam diſcrepantiam inferre debemus.

Eod. De ordine rerum, & Temporum Opportunitate ſcientiam, Græci εὐταξίαν nominant, in qua intilligitur Ordinis conſervatio, & ſcientia earum rerum quæ agentur, & dicentur, loco ſuo collocandarum, Itáque videtur Eadem vis Ordinis, & Collocationis fore, Nam & ordinem ſic definiunt, Compoſitionem rerum aptis, & accomodatis Locis, Locum autem Actionis, Opportunitatem Temporis eſſe dicunt, Tempus autem Actionis Græci καιρὸν, Latinè Occaſio appellatur.

Eod. Talis eſt Ordo actionum adhibendus, ut quemadmodum in Oratione conſtanti, ſic in vita ſint omnia apta inter ſe & convenientia. Tanta eſt vis Loci, & Temporis, ut ſiquis cum cauſam ſit acturus in itinere, aut in ambulatione, ſecum ipſe meditetur, aut ſi quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur, at hoc idem ſi in convivio faciat, inhumanum videatur inſcitiâ temporis, Sed ea quæ multum ab humanitate diſcrepant, ut ſiquis in foro cantet, aut ſiqua eſt alia magna perverſitas facile apparent, nec magnopere admonitionem deſiderant, Quæ autem parva videntur eſſe delicta, neque à multis intelligi poſſunt, ab iis eſt diligentius declinandum. Non

Non eadem officia disparibus ætatibus tribuuntur, nec eadem Magistratibus, & Privatis, Civibus & Peregrinis. *Offic.* 1.

Est Adolescentis Majores natu revereri, ex hisque deligere optimos, & probatissimos, quorum consilio, atque authoritate nitatur: Ineuntis enim ætatis inscitia Senum constituenda, & regenda est prudentia, Maximè hæc Ætas à Libidinibus arcenda est, exercendáque in Labore, & patientia, ut eorum & in Civilibus & bellicis officiis vigeat industria, Cum relaxare animos, & dare se jucunditati volunt, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ. *ibid.*

Senibus Labores corporis minuendi, Exercitationes animi augendæ videntur, Danda vero opera, ut & Amicos, & Juventutem, & maximè rempubl. Consilio, & Prudentia, quam plurimum adjuvent, Nihil autem magis cavendum est Senectuti, quam ne Langori se desidiæque dedat, Luxuria vero cum omni ætati sit turpis, tum Senectuti est fœdissima, sin autem Libidinum intemperantia accesserit, et ipse senex concipit dedecus, et facit adolescentium intemperantiam, impudentiorem. *ibid.*

Est proprium munus Magistratûs intelligere se personam gerere Civitatis, deberéque se ejus Dignitatem, et decus sustinere, servare Leges, Jura describere, et ea fidei suæ Commissa meminisse. *ibid.*

Privatum oportet, æquo et pari cum Civibus jure vivere, neq; submissum, et abiectum, nec se *ibid.*

efferentem, tum in Repub. ea velle, quæ tranquilla & honesta sunt.

ibid. Peregrini, & Incolæ Officium est nihil præter suum negotium agere, nihil de alio inquirere, minimèque in aliena repub. curiosum esse.

CAP. 4.

De Decoro Sermonis.

DEcorum Sermonis, est quod in Colloquio, et Oratione, personis, et negotiis consentaneum adhiberi decet, unde aliquando Lepore et Urbanitate aliquando Gravitate, et Severitate uti convenit.

Offic. 1. Cum Orationis indicem vocem habeamus, in voce autem duo sequamur, ut clara sit, ut suavis, utrumque omnino à Natura petendum est, verum alterum Exercitatio augebit, alterum Imitatio presse loquentium, et leniter.

ibid. Catuli optimè uti lingua Latina putabantur Sonus erat dulcis, Literæ neque expressæ, neque oppressæ, ne aut obscurum esset aut putidum, sine contentione vox, nec languens, neque canora, Uberior erat oratio Lucii Crassi, nec minus faceta, Sale vero, et facetiis Cæsar, Catuli patris frater, vicit omnes, In omnibus igitur his elaborandum est, si in omni re quid deceat, exquiramus.

ibid. Sit sermo lenis, minimèque pertinax, insit in eo Lepos, nec vero tanquam in suam possessi-

seſſionem venerit, Excludat alios sed cum reliquis in rebus, tum in sermone communi vicissitudine, nonnunquam utendum putet.

Difficile dictu est, quantopere conciliat animos hominum Comitas, affabilitasque sermonis, si vero inest in Oratione mixta modestiæ gravitas, nihil admirabilius fieri potest, eoque magis si ea sunt in adolescente. *Offic.* 2.

Habentur plerumque Sermones, aut de Domesticis negotiis, aut de Repub. aut de Artium studiis et Doctrina, et danda est opera, ut etiamsi ad alia aberrare cœperit, ad hæc revocetur Oratio. *Offic.* 1.

Animadvertendum est etiam quatenus sermo delectationem habeat, et ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. *ibid.*

Imprimis videndum quibus de rebus quis loquatur, si de Jocosis Leporem, si de seriis severitatem adhibeat. *Eod.*

Ludo & joco uti licet, sed sicut somno, & quietibus cæteris, cum gravibus seriisque rebus satis fecerimus, ipsumque genus jocandi, non profusum, nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet, ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestatis actionibus non sit aliena; sic in ipso joco, aliquid probi ingenii eluceat. *Eod.*

Duplex verò est jocandi genus, unum *Eod.*

elegans, Urbanum, ingenioſum, facetum, alterum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum, Facilis igitur eſt Diſtinctio Ingenui & Illiberalis joci, Alter eſt, ſi tempore fit, ac remiſſo animo, libero dignus, alter ne homine quidem, ſi rerum turpitudini adhibeatur verborum obſcœnitas.

Eod. Turpe eſt, valdeq; vitioſum, in re ſevera, convivio dignum, aut delicatum aliquem inferre ſermonem.

Eod. Motibus Animi inimicis ſermo vacare debet, ne aut Ira exiſtat, aut Cupiditas aliqua, aut Pigritia, aut ignavia, aut quid tale appareat, maximèque curandum, ut eos quibuſcum conferimus, & vereri, & diligere videamur.

Eod. Objurgationes nonnunquam incidunt neceſſariæ, in quibus utendum eſt fortaſſis, & vocis contentione majori, & verborum gravitate acriore, Id etiam agendum eſt, ut ne Irati ea facere videamur, ſed ut ad urendum & ſecandum, ſic ad hoc genus caſtigandi rarò invitique veniamus, nec unquam niſi neceſſario, cum nulla reperietur alia Medicina, magna autem parte clementi caſtigatione uti licet, gravitate tamen adjuncta, & ut ſeveritas adhibeatur, & contumelia repellatur, atque etiam illud ipſum quod acerbitatis habet objurgatio, ſignificandum eſt, ipſius qui objurgatur cauſa ſuſceptum.

Rectum

Rectum est etiam in illis contentionibus quæ cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere. *ibid.*

Inprimis prævidendum, ne sermo indicet vitium aliquod inesse moribus, quod maximè tum solet evenire, cum studiosè de absentibus, detrahendi causa, aut per ridiculum, aut maledicè contumelioséque dicitur. *Eod.*

Deforme est etiam de seipso prædicare, falsa prosertim, & cum irrisione audientium, militem glorioſum imitari. *Eod.*

CAP. V.

De Decoro Gestus.

DEcorum Gestus est, quod in vultu, motúq; Corporis decet, & conditioni personæ aptum est, et congruit, ex quo Dignitas, et venustas cum verecundia conservantur.

Corporis nostri, Natura ipsa videtur magnam habuisse rationem, quæ formam nostram, reliquámque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu, quæ autem partes Corporis ad necessitatem datæ, aspectum essent deformem habituræ, eas contexit, atque abdidit; Hanc Naturæ tam diligentem fabricam imitata est Hominum. *Offic. 1.*

num verecundia, quæ enim natura occultavit, eadem omnes qui ſana mente ſunt ab oculis removent, ipſique Neceſſitati dant operam, ut quam occultiſſime pateant, Itáq; nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec Oratio obſcænitate.

Eod. Scenicorum quidem Mos, tantam habet ex veteri Diſciplina verecundiam, ut in Scenam ſine ſubligaculo prodeat nemo, verentur enim, ne ſi quo caſu evenerit, ut Corporis quædam partes aperiantur, aſpiciantur non decori, Noſtro quidem more, cum Parentibus puberes filii, cum Soceris generi non lavantur.

Eod. Cum Pulchritudinis duo genera ſint quorum in altero Dignitas, id altero venuſtas, & Dignitatem virilem, venuſtatem muliebrem dicimus, ergo & à forma removeatur omnis viro non dignus ornatus, Formæ autem Dignitas coloris bonitate tuenda eſt, Color exercitationibus corporis, Adhibenda eſt præterea munditia non odioſa, neque exquiſita nimis, tantùm quæ fugiat agreſtem, & humanam negligentiam.

Eod. Eadē ratio habenda eſt veſtitûs, in quo ſicut in pleriſq; rebus, mediocritas optima eſt.

Eod. Status, inceſſio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus, Decorum teneant, Quibus in rebus duo maxime fugienda, ne quid effœminatum, & molle, ne quid durum, aut ruſticum ſit. Licet

Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum qui libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt, quorum omnino vultus, voces, motus ſtatúſque, mutantur. *Eod.*

Vitium in geſtu, motúque caveatur, nam & Palæſtrici motus ſæpe ſunt odioſiores, & Hiſtrionum nonnulli geſtus ineptiis non vacant, & in utroque genere, quæ ſunt recta & ſimplicia laudantur. *Eod.*

Cavendum eſt, ne aut tarditatibus utamur, in greſſu molioribus, ut Pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur, aut in feſtinationibus, ſuſcipiamus nimias celeritates, quæ cum fiunt, Anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur, ex quibus ſignificatio fit non adeſſe conſtantiam. *ibid.*

Ut in fidibus Muſicorum aures vel minima ſentiunt, ſic nos ſi acres, ac diligentiores Judices eſſe volumus, animadverſoréſque vitiorum, magna ſæpe intelligimus ex parvis, Ex Oculorum obtutu, ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut cõtractione, ex mœſtitia, ex hilaritate, ex riſu, ex loquutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex ſubmiſſione, ex cæteris ſimilibus facilè judicabimus, quid eorum aptè fiat, quid ab officio naturáque diſcrepet, Quo in genere non eſt incommodum quale, quódque Decorum ſit, ex aliis judicare, ut ſiquid dedeceat in aliis, vitemus & ipſi, ſit enim neſcio quo modo, ut magis *Eod.*

in

in aliis cernamus, quam in nobiſmet ipſis, ſi quid delinquitur.

Eod. Non alienum eſt ad ea eligenda quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam uſu-peritos, & quid his in unoquoque officii genere placeat exquirere: Major enim pars eo deferri ſolet, quo à Natura ipſa deducitur, in quibus videndum eſt, non modo quid quiſque loquatur, ſed etiam quid quiſque ſentiat, atque etiam qua de cauſa ſentiat. Ut enim Pictores, & ii qui ſigna fabricantur, ſuum quiſque opus à vulgo conſiderari vult, ut ſiquid reprehenſum ſit à pluribus id corrigatur, hique & ſecum, & cum aliis, quid in eo peccatum ſit exquirant, ſic aliorum judicio per multa nobis facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda ſunt.

CAL.

CALVINUS

Inſtitutionum Lib. 2. Cap. 2. Num. 15.

Quoties in profanos ſcriptores incidimus, illâ quæ admirabilis in iis affulget veritatis luce admoneamur, mentem hominis, quantumlibet ab integritate ſua collapſam & perverſam, eximiis tamen etiamnum Dei donis veſtitam eſſe & exornatam. Si unicum veritatis fontem, Dei Spiritum eſſe reputamus, veritatem ipſam neque reſpuemus, neque contemnemus, ubicunque apparebit: niſi velimus in Spiritum Dei contumelioſi eſſe: non enim dona Spiritus, ſine ipſius contemptu & opprobrio, vilipenduntur. Quid autem?

Ve-

Veritatem affulsiſſe antiquis jure-conſultis negabimus, qui tanta æquitate civilem ordinem & diſciplinam prodiderunt? Philoſophos cæcutiſſe dicemus cùm in exquiſita iſta naturæ contemplatione, tum artificioſa deſcriptione? Dicemus mentem illis defuiſſe, qui arte diſſerendi conſtituta nos cum ratione loqui docuerunt? Dicemus eos inſaniiſſe, qui medicinam excudendo, ſuam induſtriam nobis impenderunt? Quid mathemata omnia? putabimúſne amentium deliria? Imò ne ſine ingenti quidem admiratione, veterum ſcripta legere de his rebus poterimus: admirabimur autem, quia præclara, ut ſunt, cogemur agnoſcere. Porro laudabiléne aliquid aut præclarum cẽſebimus, quod nõ recognoſcamus à Deo provenire? Pudeat nos tantæ ingratitudinis, in quã non inciderunt Ethnici poëtæ, qui & Philoſophiam, et leges, & bonas omnes artes, Deorum inventa eſſe confeſſi ſunt. Ergo

quum

quum homines istos, quos Scriptura ψυχικὸς vocat, usque eò fuisse pateat in rerum inferiorum investigatione acutos & perspicaces, talibus exemplis discamus quot naturæ humanæ bona Dominus reliquerit, postquam vero bono spoliata est.

Hæc summa sit, in universo genere humano, perspici Naturæ nostræ propriam esse Rationem, quæ nos à brutis animalibus discernat, sicut ipsa sensu differunt à rebus inanimatis. Quod autem alii præstant acumine, alii judicio superant, aliis mens agilior est, ad hanc vel ad illam artem discendam, in hac varietate gratiam suam nobis commendat Deus, ne sibi quisquam velut proprium arroget, quod ex mera illius liberalitate fluit, unde enim alius alio præstantior, nisi ut in natura communi emineat specialis Dei gratia, quæ multos præteriens, nemini se obstrictum esse clamat? Cæterum

in

in hac diverſitate, conſpicimus tamen aliquas imaginis Dei ſuperſtites notas, quæ totum humanum genus ab aliis creaturis diſtinguant.

Ad

AD LECTOREM.

QUod huic Opuſculo, Præfationis loco præmitti potuit, Vacuæ quæ huic Editioni ſuperfuturæ erant Paginæ occaſionem Authori quaſi Poſtſcriptũ addendi opportunè præbuerũt; Rationes ſcilicet ut oſtenderet, quare in Diſciplinis quas tractat, nova, & ab iis quæ ab aliis tradita ſunt aliena exhibuerit. Et 1. Logicæ à Dialecticæ Diſciplinam diverſam ſtatuit quia reverâ Logica eſt generalis Diſciplina, quâ aliæ omnes inſtituuntur, nec Grammatica, quæ utriſque vulgò prius diſcenda præponitur, ſine ejus regu-

regulis, & documentis doceri, aut discì potest. 2. Inter Notiones, quæ Logicæ materiã suppeditant, Prædicamenta Prædicabilibus præposuit. Quia Prædicabilia ad ea quæ in Prædicamentis sũt, referuntur, & ex eorum præcognitione facilius innotescunt. 3. Prædicamentorum series tantum exhibet, quia Cognitio eorum quæ in iis disponuntur, ad alias Disciplinas pertinet. 4. Inter Prædicabilia Accidens commune Accidenti proprio præmittit, quia quod generalius est, eo quod est specialius sit præponendum. 5, Grammaticæ descriptionem potius quam delineationem, instituit: quia plerique, qui ad Academiam confluunt studiosi, ejus rudimentis, satis instructi præsumuntur.

muntur. 6. In Dialectica argumenta Probabilia, quæ Topica dicuntur, prætermittit. Quia non tam ad faciendam fidem, quam ad captandam Opinionem, nec ad Dialecticam, sed ad Rhetoricam conducunt. 7. In Rhetorica Tropos quosdam, & figuras quæ apud alios authores reperiuntur, insuper habet, quia eas quæ magis conspicuæ sunt observare satis duxit. 8. In morali Philosophia quatuor tantum virtutum species recensет, quod Eæ ab antiquis præcipuæ & Cardinales habebantur, à quibus aliæ omnes pendent, & deducuntur. 9. Deniq; Ciceronis authoritates & exempla adhibuit, quia eorum geniis, & ingeniis, quibus hæc Specimina destinata sunt, aptiora & faciliora vide-

videbantur, cum Alii, quibus Aristotelica magis placent, ex Burgerdicii compendiis & authoribus aliis, pro libitu percipere possint.

FINIS.

Erratorum Emendationes.

P. 19 *usq; ad p.* 35 *in titulo* lege *Dialectica. p.* 41 lin. 19 *æqua. p.* 43 l. 32 *infestam. p.* 44 l. 30 *Regulis. p.* 50 l. 9 *Industria. p.* 51 l. 24 *concepeu. p.* 56 l. 9 *mactari. p.* 57 l. 18 *meam. p.* 59 l. 9 *Gabinius. p.* 65 l. 8 *celit. p.* 68 l. 32 *genialem. p.* 75 l. 19 *Subjectum. p.* 77 l. 4 *simus. p.* 82 l. 31 *siqui. p.* 82 l. 3 *eorum. p.* 83 l. 25 *maximè. p.* 84 l. 24 *auferrent. p.* 88 l 21 *Metus & Ægritudo. p.* 89 l. 16 *appellare. p.* 97 l. 5 *excessu. p.* 103 l. 29 *homine. p.* 107 l. 6 *dominante. p.* 110 l. 26 *Lentitudo. p.* 192 l. infima *Audacia. p.* 314 lin. infima *sanat.*